צרור החיים

MENASSEH BEN ISRAEL

DE TERMINO VITÆ:

LIBRI TRES.

Quibus veterum Rabbinorum, ac recentium doctorum, de hac controversia sententia explicatur.

Amstelodami. Typis & sumptibus authoris. An. 1639.

[illegible] Chiarotti

Nobilissimis, Amplissimis, Doctissimisque Viris,

D. IOANNI PANHUSIO Collegii Societatis Indicæ Occidentalis Assessori,

D. LUDOVICO DE IAERSFELT, magnifici viri D. SIMONIS LUDOVICI de Iaersfelt, Admiralitatis Senatoris filio.

D. ANTONIO van SURCK, literarum & omnis elegantioris doctrinæ studiosissimo.

Nobiles, magnifici, doctissimique Viri,

IAm non annos modo multos, sed & secula, ea agitata est quæstio, fatalis, an mobilis vitæ fo-

ret nostræ terminus: & quo-pacto præscientia simul, cum libero humani generis arbitrio conveniret. Arduum esse hac de re promere sententiam, saniorum dubitabit nullus; è vulgo plurimi, quia antecedentium sectantur gregem, &, ut cum *Seneca* dicam, non pergunt qua eundum, sed qua itur; haud examinantes inculcata, diu magistro creduli, satis habent in ejus verba jurare. Nec mihi nunc animus fuisset opus plenum difficultatibus variis, periculosum etiam familiæ, ut homini Iudæo, aggredi, nisi sola Procerum humanitas metum ex parte demsisset: tum quia excusationem demereri videretur, quod ab Amplissimo Senatore, ac Medico urbis Dordrechtanæ Io. Beverovicio, solicitatus, onus suscepissem & animum simul. Interea

nihil

nihil hic dicere decrevi, quo Christiana religio impugnetur: eo minus, quia ex ejus Doctoribus plurimi, non aliam in hac controversia quam Rabbinorum plerique, amplexi fuere opinionem; ut in contextu hujus operis facile comprobabimus. At forsan Vobis, Nobiles, & Amplissimi Viri, mirum videbitur, quod Vestra potissimũ sub umbra huncce fætum meum prodire voluerim, & lumen simul ex eo mutuare. Verũ fatebor: plane Vobis, ea virtute, ea doctrina instructis, quia tales judicare valent, non aliis, debebatur. Contra si facerem, merito culpandus fuissem: quoniam mihi Vobis cognito, & Vestram simul tum benevolentiam, tum in summa eruditione Vestra, egregium erga litteras & litteratos favorem experto, omnis præclusa esset
 via,

via, alterius pultandi fores. Vos modo, Viri Nobiles & Amplissimi, sereno hæc nostra accipite vultu: & sicubi peccatum, hoc existimate, humanum esse labi: paratissimumq vero esse agnoscere culpam, mutare opinionem, ubi saniora cognorit,

Vestrum animo & affectu
Menasseh ben Israel.

Amstelodami,
An. CIƆ IƆ XXXIX.
XXV. Iunii.

PRAEFATIO

AD

LECTOREM.

DE Scripturarum interpretatione triplex, Benevole Lector, opinio eſt. Sunt qui literalem tantummodo expoſitionem admittant, eoque non agnoſcant in iis metaphoras, ſeu ſimplices, ſeu continuatas, quæ allegoriæ vocantur. Itaque cum vident Deo membra hominum tribui, vel affectus, proprie hæc intelligenda eſſe contendunt: & quoniam dicitur Deus tentaſſe Abrahamum, eo illum futurorum certo eſſe præſcium negant. Quia item in enarrando vitæ ſpatio, quo Adamus, Noachus, & Patriarchæ vixiſſe dicuntur, annorum, non men-

ſium, aut dierum ſit mentio, propterea exacte id ſpatium, quod in Scriptura memoratur complesse eos arbitrantur: rejecta omni ſynecdoche, qua, ut memoriæ conſulatur, annus vocetur, etſi aliquid ſuperſit, vel deſit. Hujuſmodi dum ſimplicitatis amatores volunt videri, coguntur inſcitiam in multis prodere, fidemque habere rebus abſurdis: quas tamen reverentia Scripturæ, ſed imperite intellectæ, pro veriſsimis habent: ut jure illis occinas illud regii Prophetæ Salomonis: *Stultus omnia credit*. Eſt præterea alterum genus, quod ubicumque Scripturæ non videntur convenire cum Platonis, vel Ariſtotelis Philoſophia, ad allegoricas interpretationes recurrit. Hinc mira de Evæ & ſerpentis colloquio ſomniant, ac ubi ſemel aberrarunt à recto, magis

magis magisque ad absurda labuntur: quales rejecta scripturarum simplicitate simul ipsam produnt veritatem. Qui tertii sunt ordinis mediam inter hos insistunt viam. Nec enim tam simplices ac creduli sunt, ut quid vis in animum inducant, quod prima facie, nullo facto locorum aliorum examine, dicere Scriptura videatur. Nec item tanti iis sunt gentilium Philosophorum decreta, ut cœlestem Scripturæ veritatem in allegoricos sensus detorquere velint, ne latum hæc unguem inter se dissentiant. Nempe credunt literæ, quoties nihil sonat absurdi. Sed allegorias admittunt, ubi in proprietate verborum sensus fuerit rectæ rationi adversus. Philosophorum vero opiniones, quoties repugnant Scripturis parvo habent loco, vel potius nullo

nullo. Atque hæc eo à me nunc, benevole lector, adferuntur, ne ſubtilitates hocce in opuſculo Philoſophicas exſpectes, quia fixum litare tantum veritati. Et primo quidem libro doceo, eſſe certum quædam vitæ humanæ terminum, & quomodo is juxta veteres & recentiores auctores ſit intelligendus. Altero utrum fixus, an mobilis ſit, demonſtrare tentavi. Tertio oſtenſurus, quo pacto præſcientia divina cum libero conveniat hominis arbitrio. Conatui huic noſtro fave, & vale.

CATALOGVS
Autorum, & librorum Hebraicorum, qui in hoc opere citantur.

תלמוד בבלי	מאיר תהלות
תלמוד ירושלמי	מאיר איוב
תנחומא	אוהב משפט
פרקי ר' אליעזר	הרי"ף
ילקוט	ר' משה סרקיירו
רבות	ר' וידאל צרפתי
מדרש תהלים	מאירי על משלי
מדרש שמואל	ידי משה
זוהר	קהלת יעקב
יד החזקה	תורה אור
יפה מראה	צדה לדרך
יפה תואר	שאלות בר ששת
נחלת אבות	שאלות הרשבא
מדרש שמואל	השגות הרא"בד
לב אבות	דרשות ר' נסים
מילי דאבות	עולת שבת
ידידיה אלכסנדרי	דברי שלמה
ר' שלמה ירחי	דרש משה
אבן עזרא	מורה נבוכים
הרמ"בן	כוזרי
ר' בחיי	קול יהודה
עקדת יצחק	אור השם
ריקנטי	עקרים
אברבניאל	תהלה לדוד
מעשי השם	נוה שלום
מקור חיים	מלחמות השם
רד"ק	מאורת עינים
ס' אורים ותומים	ס' המולדות
נורא תהלות	ס' בגרשי

CATALOGVS
Latinorum & Græcorum authorum, qui in hoc opuſculo citantur.

ALphonſus *Toſtatus* A*bulenſis*.
Andreas Veſalius.
Agellius.
Ariſtoteles.
Averroes.
Avicenna.
Auguſtinus.
Bernardus.
Beroſus.
Cajetanus.
Cælius Rhodoginus.
Cenſorinus.
Cornelius Tacitus.
Claudius Galenus.
Chryſoſtomus.
Cyrillus.
Damaſcenus.
Empedocles.
Euclides.

Flaviu

Flavius Ioſephus.
Ferdinandus Caſtañeda.
Georgius Venetus
Gregorius Nyſſenus
Hieronymus Cardanus
Hieronymus Oſorius
Hieronymus
Hirpocrates
Ioannes Langius
Iuſtinus Martyr
Lactantius Firmianus
Lycurgus
Mercurius Trimegiſtus
Marſilius Ficinus
Maſæus
Macrobius
Marcus Tullius Cicero
Ovidius
Origenes
Paulus Aemilius
Plato
Philo Iudæus.
Pineda
Picus Mirandulanus

Plotinus
Plutarchus
Rhasis
Seneca.
Solinus
Solon
Strabo
Suetonius
Servius
Thomas
Theophrastus
Trebellius
Vasquius
Vallascus á Taranta
Xenophon
Zacutus Lusitanus.

MENASSEH BEN ISRAEL,

SS. Literarum Doctori,

IO. BEVEROVICIVS

bene rem gerere.

Controversiis SS. Literarum locis conciliandis à natura facto, à doctrina exculto, non ἀπέχως proponenda esse duxi, quæ prima fronte contraria videntur. Decantatus est Iobi locus: *Nonne hominis dies sunt definiti? numerus mensium an non penes te est? nonne determinationes ejus fecisti, quas non transgredietur?* At dicit regius propheta, impios & sanguinarios vix dimidium vitę complere: ac Deus ipse in Decalogo, promittit parentium cultoribus vitam diuturnam in terris, Ezechiæque regi eam in quindecim annos prorogavit. Quæ quomodo cohæreant

hæreant cum fatali, & ante omnia secula præfinito cuique vitæ termino, judicii tui facio, Vir clarissime. Simulque, si quæ Rabbinorum & Caballistarum sit de hac controversia sententia, ad me perscribere dignaberis, rem facies non minus mihi gratam, quam reip. literariæ utilem. Complures tu certe nodos in admirando Conciliatore solvisti: sed nescio an ullum vinculum ita adstrictum, atque quod de Gordio dicebat Curtius, pluribus nodis in semetipsis implicatis, & celantibus nexus. Mihi nequicquã diu luctato cum latentibus nodis, eas ut expedias non ferri, ut olim Alexander, sed acuti ingenii acie, summa votorũ est. Vale vir natalibus, & doctrina nobilissime. Dordrechti XVI. Dec. CIↃ DC XXXVIII.

MENAS-

MENASSEH BEN ISRAEL
DE
TERMINO VITAE
LIBER I.

Certum aliquem terminum & præfinitum vitæ humanæ tempus esse, manifesto indicat Salomoh: *Omnes res habent tempus & horam sub cœlo; est hora nascendi, hora moriendi.* Eccl. III, I. Vti enim definitas horas rebus sublunaribus omnibus adsignat: ita easdem tribuit vitæ & morti.

II. Insignis est locus Iobi: *Certe tempus hominis super terram*: Iob. VII. I. ad quem R. Selomoh יש צבא וזמן לאנוש כמה יחיה *Est statutum & tempus hominis quamdiu victurus sit.* R. Levi ben Gerson & R. Meir Arama קץ וזמן קצוב *finis & tempus determinatum.* A-

ben Ezra ומן קצוב *tempus determitum*. Idem quoque ſentit *R.* Simhon bar *S*emah, alludens ad illud quod tempus etiam vocetur צבא *exercitus*: quia uti exercitus ex variis conſtat militibus, ſic & tempus ex variis horis & minutis. Hanc expoſitionem plerique ſcriptorum ſequuntur.

Iob. xiv. 5. III. Idem quoque Iob paulò expreſſius: *Si definiti dies ejus, numerus menſium ejus tecum; ſtatuta ejus feciſti, & non præteribit.* Aben Ezra commentatur: כבר גזרת עליו כמה יחיה, וחרצת משפטו, ושמת לו חקים וגבולים לא יוכל לעבור: *Iam decreviſti ſuper illum quamdiu victurus ſit, & determinaſti ejus iudicio, atque direxiſti ad ipſum ſtatuta & terminos, quos non poteſt tranſilire.* R. Levi ben Gerſon אם ימיו קצובים ומוגבלים הניחהו וישלים וכו׳ *Si ejus dies fuerint collecti & determinati, occidit & deficit ejus*

ejus tempus. R. Selomoh חרוצים וקצובים לזמן קבוע ומועד למיתה׃ *definiti & determinati ad diem fixum, et dispositum ad mortem*. Quod omne convenit cum vocabulo חרץ, quod proprie notat *decernere*, aut ſententiam ferre.

IV. Eadem hæc ſententia cap. XXI. 21. legitur: *Numerus mēſium ejus eſt decurtatus*. Sic quoque R. Levi ben Gerſon נכרתו ונגבלו *definiti & determinati*. R. Simhon bar Semah קצובין *limitati*. Aben Ezra & Chaldæa paraphraſis exponunt vocabulum חצצו *ſunt dimidiati*, derivantes á radice חצה; uti recte obſervarunt prædicti autores. Si quis velit, poteſt primam ſequi expoſitionem, etiamſi ſtatuat illud idem vocabulum duarum eſſe radicum חצה & חצץ.

V. Aliter etiam hoc ipſum adſtruitur. Moſes inquit: *Nu-*

Exod. *merum dierum tuorum comple-*
XXIII. *bo.* Et David, *Domine, fac me*
26. *scire finem meum, & quæ sit men-*
Psal. *sura dierum meorum.* Et paulo
XXXIX. post: *Ecce palmos dedisti meos*
5. *dies*: ubi R. Selomoh כדבר הנמדד
כטפחים כן ימי האדם *tanquam res quæ*
pugnis mensurata est, sic dies ho-
Eccl. *minis sunt determinati.* Selomoh
V.17. in Eccles. *Numerus dierum ejus*
Iob *vitæ.* Iob. *Omnes dies temporis*
XIV.14 *mei*: ubi Rabbi Levi ben Gerson
מדת ימי *mensura dierum meorum.*
Vnde colligitur, vitam constare certo computo & numero dierum decretorum.

Gen. VI. Et quia vita hunc terminũ
XLVII. habet, ad quem tanquam metam
29. tẽdit homo, hinc Scriptura solet
Deut. hanc usurpare phrasin: *Et appro-*
XXXI. *pinquaverunt dies Israelis ad moriẽ-*
14. *dum*: & alibi, *En appropinquaverũt*
I Reg. *dies tui ad moriendum.* Itẽ, *Et ap-*
II. I. *propinquaverunt dies Davidis ad*

mori

moriendum. Itaque hæc omnia quid aliud notant, quam metam fixam & signatam, ad quam homo tendit?

VII. Augere, diminuere, præsupponit certam aliquam quantitatem & numerum, Atqui Scriptura asserit, timorem Dei prolongare dies, & annos impiorum abbreviari. Vnde consequitur, vitam suum habere terminum, & unum contrahi, alterum verò extendi, juxta uniuscujusque opera. *Prov.* x. 27.

VIII. Præter hæc omnia loca est nobilis ille Samuelis, ubi David hæc profert verba; *Vivit Dominus, quia Dominus eum plaga afficiet, aut dies ejus veniet ut moriatur, aut in bellum descendet, ut consumatur.* Vnde sole clarius liquet, in morte hominis concurrere posse unam ex tribus causis, providentiam, naturam, *Sam.* xxvi. 10.

et casum, ut infra dicemus. & simul evincitur, unumquemque hominem suum certum habere diem, in quo hæc vita permutanda est cùm alia meliore. Hæc præmittenda erant ad probandam veritatem dicendorum.

SECTIO II.

HOc jam ergo evicto, juxta divinas literas certum & definitum esse terminum vitæ humanæ, deinceps exponendum erit, quomodo hic terminus intelligendus sit.

Primo sciendum est, in hoc non consentire omnes sapientes, sed variare judiciis, quæ quisque format juxta principia scientiæ suæ. Astrologi asserunt terminum & spatium vitæ ab astris dependere; atque hæc fuit opinio Æsculapii; quia si ab influxu stellarum universa terra

reci

recipiat vitam, inde fertilis seu ferax ager, & contra sterilis fiat, si eadem vis quoque determinat anni tempora, & definiat secula: quid mirum (ajunt illi) uniuscujusque vitam & mortem dependere ab astris? Alii paulo propius hãc rem considerantes cum Aristotele asserunt, quod Sol & homo generet hominem; & volunt non tantum Solem, qui princeps est omninm planetarum, sed etiam reliqua omnia sidera concurrere ad tam præclarum, tam illustrẽ effectũ, qualis est formatio hominis. Hinc dispescunt operationes, & operandi officia inter planetas. Primo mense conceptionis, ajunt, exsiccat Saturnus primam massam; Iupiter pro sua benignitate eandem secundo mense præparat & augmentat; tertio vero Mars eam dividit & inurit, & sic

Arist. 2. phy. tx. 26 2. de gener. tx. 55. sect. 26 Proble. q. 5.

deinceps de mense in mensem solent cuilibet planetarum dicti astrologi sua assignare opera; uti observare est apud Platonem, & Thomam. Et ex eo fit quod illa seu conjunctio stellarum seu disjunctio, quæ obtinet dominium in tempus illud, quo fœtus in ventre concipitur, uti volunt; in infante producat semina futurorum affectuum, vitæ & mortis, boni ac mali; nec esse alias Parcas mortalium fata disponentes. In qua opinione fuerunt Stoici, fatum constituentes ab influentia & virtute stellarum, quam immutabilem esse censebant. Alii id omne, quod diximus, attribuerunt positioni & efficaciæ stellarum, quæ incidit in tempus nativitatis infantis, non vero in tempus conceptionis; quod parum facit ad rem hanc veram reddendam,

Plat. apud Marsili. in Atlan. Cœlius Rhodi. lib. 19. cap. 22 Thom. lib. 3. contra gent. q. 84.

Scien

Sciendum enim eſt, illos omnes ſucceſſus proſperos & adverſos aſtris tribuiſſe.

Hebræi autem concedunt corpora inferiora operari per virtutem cœleſtium ; atque uti aſſerit Rabbi Moſes Ægyptius in ſuis epiſtolis אין [illegible] בין חכמי ישראל ובין הפילוסופים בזה מחלוקת *nullus eſt inter ſapientes Iſraelis & Philoſophos, qui de eo diſceptet*. Itaque licet de creatione mundi diverſum ſentiant, dum aliqui mundum faciunt coæternum Deo, alii creatum ex materia prima, nonnulli ex nihilo: tamen omnes in eo conſpirant, generationem rerum ſublunarium effici á ſtellis. Sed quod attinet ad virtutem iſtam ſtellarum, & imperium in corpora humana, inque ipſam hominis mentem, in eo noſtri non conſentiunt. Rabbi Moſes Ægyptius in ſuis Epiſtolis

strenue id negat, cum sic loquitur: Omnes eventus humanos quidam Philosophorum tribuunt casui, nec providentiam admittunt; nonnulli hos deferunt stellarum virtuti. Alii contra omnia referunt ad fatalem aliquam astrorum necessitatem, & volunt, quod Ruben sit dives, Simeon pauper, hic felix, ille calamitosus, id omne provenire à positione & efficacia stellarum, quæ in tempus nativitatis incidit; hancque legem esse inviolabilem. Sed utraque opinio est falsissima: quia ista, quæ casui omnia tribuit, negat providentiam adeo decantatam in sacris libris: ista verò, quæ tantam vim defert stellis, & sequitur astrologiam judiciariam, est delira. Primo, inquit, pervolvi omnes libros Arabicos, de hâc scientia agentes, sed tandem
depre-

deprehendi totum atque omne istud esse meram vanitatem & væsaniam. Sed nec huic scientiæ dediti fuerunt Græci sapientes, qui revera sapientes vocari potuerunt, neque unquam de eo liber ullus ab iis scriptus exstat. Persæ quoque eam vanam judicarunt; soli Casdæi, Chaldæi, Ægyptii, & Cananæi, vanitati huic fuerunt addicti; quia in hoc eorum religio consistebat per aliquod tempus. Postmodum accedens ad rationes magis apertas, ait: Est inter articulos legis nostræ, quem & omnes Philosophi admittunt, hic dari liberum arbitrium, & hominem præditum esse absoluta potentia sequendi bonu m, & discedendi á malo; uti & contra sectandi appetitum se n suum, non vero rationis dictamen. Iam vero si tanta est potentia stella-

rum in corpora hominum, ubi relicta est ista libertas hominũ? Si homines non possunt effugere vim & impressionem stellarum, quorsum tunc sunt pręcepta? quid proderit, si quis studeat, exonerare se vitiis, & acendere animum ad virtutem, cum cœlum determinaverit, quando quis nascitur, qualis futurus sit? Si sic ab astris determinata est libertas humana, utique vana & inutilis est omnis cura & solicitudo hominum. Ergo inquit R. Moses, æquum est, ut hoc totum attribuamus divinæ providentiæ; nempe quia Ruben peccavit, idcirco pauper evasit, & sic fieri potest ut novo aliquo merito suo rursos opulentus evadat. Omnes eventus prosperos, & adversos, oportet tribuere cujuslibet operibus; quia videmus Deum promittere vitam

vitam & bona temporalia observantibus præcepta sua. Quod si videatur aliquãdo contrarium evenire, id est, justo mala accidere, tum oportet illud relinquere Deo; quia ipse solus novit secreta cordium, ac scit caussas, cur castiget, aut præmio afficiat. Huc usque Maimonides.

Hinc jam facile nobis liquet, quam directe repugnet sententia R. Moseh, sententiæ Astrologorum, & quæ sit ejus de astrologia judiciaria opinio.

SECTIO III.

DIversam sententiam amplexi sunt doctissimus Aben Ezra in libro A-moledoth, Don Isaac Abravanel, R. Bahye R. Isaac Cohen & R. Levi ben Gerson, R. Meser de Leon, R. Ioel ben Sueb, R. Ioseph Albo, aliique multi ex hac classe, qui

uno ore asserunt, ex positione astrornm derivari aliquam virtutem in infantes in lucem recens editos, & disponi ordinem vitæ & mortis; opulentiæ & paupertatis, &c. Et illud est Hebræorũ fatum, quod vocatur ab iis מערכת הכוכבים, id est, ordinatio stellarum: quod sequentibus his rationibus solent probare.

I. Constat *experiencia*, oracula astrologorum solere eventibus respondere, & sæpissime eos prædixisse vitam brevem aut longam, vitæque felicitatem aut calamitatem. Ergo astra hæcomnia disponunt.

II. *Ratio*: Nemini non constat, generationem & corruptionem omnium sublunarium dependere à motu cœlestium. Apparet etiam, prout aër est turbidior aut serenior, ita eum se insinuare corporibus hominũ,

&

& prout reſpirando attrahitur, ita etiam affici animos. Itaque non poteſt negari cœlum potentiam aliquam in corpora humana habere.

III. Eſt ab *autoritate*: Scriptura enim Sacra de Sole &
Luna inquit: *Et poſuit illa Deus* Gen. 1. 14.
in expanſò cœli ad lucendum ſupra terram, & dominandum noctu ac interdiu. Vbi *R.* Moſeh Gerundenſis quærit, quidnam per iſtud dominium intelligatur? Hoc eſt, inquit, illud dominium, quod ſtellæ habent in corpora humana; in quæ varias imprimunt virtutes, prout eſt eorum vel benevolus, vel malevolus adſpectus. In libro Iudicum dicitur:
E cœlo præliatæ ſunt ſtellæ, é ſuis Iud.
aggeribus pugnarunt contra Siſera. v. 20.
Et apud Eſaiam: *Defetiſcens* Eſai.
multitudine conſiliorum tuorum: xlvII.
ſtent jam aſtrologi, qui contemplan- 13.

tur

tur stellas, qui indicant menses, & servent te ab iis, quæ superventura sunt tibi. Item Iobus ait: *Perijsset dies, quo nasciturus eram, & nox, qua dictum est, conceptus est mas*: ubi refert mala sua ad horam conceptionis vel nativitatis suæ. Ex his omnibus virtus ista stellarum colligitur. Antiquiores quoque Thalmudistæ in hanc videntur opinionem inclinare. Ajunt enim in tractatu Moed katá, filios, vitam, & victũ dependere ab astris. In tractatu quoque Sabbathi idem plane adstruitur: quippe vitia & virtutes attribuuntur efficaciæ stellarum sub quibus quilibet nascitur; & fit ibi mentio Iovis, Saturni, Martis &c. Ibidem quoque controvertitur, num horum ratio indaganda sit in horis nativitatis, an conceptionis. Vnde non obscure eorum sententia liquet. Sed

Iob. III, 3.

cap. ultim.

cap. ultim.

Sed tamen necessario observandum est, quod licet ista opinio inter Hebræos sit introducta, omnes tamen unanimi consensu statuant, stellas inclinare duntaxat, non vero necessitare justos ad volendum, aut eligendum, antequam actiones liberæ existant in sua contingentia, uti recte observat R. Isaac Arama in sua Aqueda. Et præclarus orator Badrasi in Behinat Olam ait
כי תראה שמך גבהו וממך ותביט כוכבים נשגבים
ביורם לא תדמה ולא תחשוב היות רצונך תחת
משפטיהם אשר גבלו ראשונים לך לבדך נתונה
הארץ אין להם בה ממשלה ומחה בכל מה
שיש לו והתלות בבחירת גבוליו hoc est, Quando aspicis coelum, quod supra te est, & consideras sidera supra te elevata, ne imaginare, vel cogita voluntatem tuam subjectam esse illorum judicio: uti primi Astrologi putarunt. Nam tibi terra concessa est; non habent illa imperium ac

ac potestatem in quicquam eorum, quæ prorsus dependent ab libero arbitrio. Et quod attinet ad ista, quę non sunt in potestate hominis, uti sunt vita, dignitas & divitiæ, omnes uno ore asserunt cum Arisba, הדבקים במצות הם למעלה מן המזל *qui adhærent præceptis sunt supra planetas.* Et Rabbi Moses Gerundensis ait, Deum esse supra omnia, omnia posse, videre, disponere & regere, idque juxta cujusque meritum. Hinc Thalmudici doctores alicubi ajunt אין מזל לישראל, id est, non est planeta Israeli: & alio rursus in loco contrarium dicunt יש מזל לישראל id est, Est planeta Israeli) Quo facta distinctione, liquet utrumque verum esse: nam uti inquit doctus Aben Esra super cap. XXXIV. Exodi

in inter rog. & resp.

אין מזל לישראל כל זמן שהם שומרי התורה ואם לא ישמרוה ישלוט בהם המזל :

id

ſid eſt, non eſt Iſraeli planeta, omni illo tempore, quo legis ſunt obſervantes : At ſi legem nō obſervaverit, dominatur illis planeta. Proinde etiam Ieremias ait, *De ſignis cœli non metuite vobis, ſed conſternentur gentes ab iis.* Sed qui plura hac de re volet, conſulat, Flavium Ioſephum de Antiquit. Iud. Nam ubi egit de ſecta Phariſæorum, (ex qua nos eſſe lubenter agnoſcimus) ſubjungit hæc verba. Fato quæcunq; geruntur tribuunt, nec tamen homini voluntatis aſſenſum adimunt, hoc temperamento Deum uti dicentes, ut cum omnia fiant ex ipſius conſilio, in homine tamen ſit voluntas accedendi ad virtutem aut vitium. Et alio in loco tractans de infelici Alexandri, & Ariſtobuli, crudeliſſimi regis Herodis filiorum exceſſu, inquit; Illud merito dubitari

Lib. XVIII. *cap. 2.*

Lib. XVI. *cap. ult.*

tari possit, in adolescentesne ea culpa conferenda, qua patrem longo tempore exasperatum tandem in odium conjecerint immedicabile, an in ipsius duritiam, & cupiditatem tam gloriæ quam dominationis immodicam, qui nullum ferret socium, malens omnia suo arbitratu facere: an potius in fortunam, cujus potentiæ nullis humanis rationibus resistere licet, ne sapientissimis quidem. Vnde persuasum habemus, eam omnes humanas actiones præsanxisse, ut necessario consequantur: eamque vim fatum vocamus, quod nihil sit quod illa non efficiat. Sed hunc sermonem ut arduum, leviter attigisse sufficiet, qui & nostris studiis non nihil tribuit, & varietatis actionum causas examinat: quæ quidem contemplatio jam olim

inclusa

inclusa est legis nostræ voluminibus. Hucusque verba Iosephi.

Fatum vero cum dicit, intelligit vim siderum, sive influentiam astrorum: sed nota quod dicat, nihil hoc obstante *in homine tamen esse voluntatem accedendi ad virtutem aut vitium*. Deinde quod ejus potentiæ *nullis humanis rationibus resistere liceat*. Itaque divinis, & supernaturalibus, cujusmodi sunt ardentes preces, eleemosyna, seria pœnitentia, &c. illi resisti potest, atque hæc quidem hactenus pro brevitate scripti nostri. Si quis rem hanc paulo accuratius videre velit, adeat eximii, atque summi viri D. Gerardi Io. Vossii librum eruditissimum de Idolol. lib. 2. Postquã in lucem produximus sententiam nostrorũ sapientum de virtute astrorum, jam progrediamur ad nostram quæ-

stio

ſtionem de termino vitæ. Dicimus autem juxta quoſdam noſtrorum, per hunc terminum intelligi ejuſmodi, qui ſit præfinitus homini virtute ſtellarum. Sic enim ſæpius ait R. Bahye ידוע הוא כי חיי האדם נגזרים כפי משפט המערכה וזה יומו יבא: *Sect. Vaihi & Tisa.* Notum eſt, vitam hominis decretam eſſe per judicium cœleſtis conſtellationis, juxta hoc, *aut dies ejus veniet.* I. *Sem* xxvi. 10. Idem quoque ſentit R. Mehir Arama in Commentario ſuper Iobum, & eruditus Aben Ezra in libro ſuo A-moledoth, R. Levi ben Gerſon in libro Proverb. Rab. Moſes Sedecairo R. Vidal Serſati. Imprimis autem antiqui Sapientes in Tanchuma, qui allegorice per illa Gen. *Et per dies & annos*, intelligũt dies & annos, *Gen. i. 14.* vitæ hominis, in quos Sol & Luna imperium, atque dominium exercent. Atque hæc dicta

ſuffi

sufficiant de sententia Astrologorum.

SECTIO IV.

Medici aliam ingrediuntur viam. Sequentes enim Galenum & Avicennam principes istius scientiæ, aiunt, vitam & conservationem corporis humani consistere in harmonia & proportione quatuor qualitatum resultantium ex IV. lementis, ex quibus est compositum, & imprimis in proportione calidi & humidi. Itaque tamdiu vitam hominis durare, quamdiu durat calor naturalis, & cum sit naturæ fugacis, semper eum partem humidi radicalis absumere, usque dum tandem hoc exsiccatum & calor naturalis exstinctus sit, & cum eo simul vita. Sic inquit Avicenna, *ut accidat mors, oportet necessario ut finiatur humiditas*

ditas radicalis & calor exstinguuntur &c. Itaque juxta hanc opinionem pro bono cuiusque temperamento erit terminus vitæ ejus, & inde quoque solent mores nasciturі prædicere, non inspiciendo cœlum, uti astrologi, sed fortunam, quæ gravidæ obvenit matri, & inprimis patribus; quia ex sententia Hippocratis, filii quoque hæreditant vitia & temperamenta patrum, ut ex phlegmatico patre nascatur phlegmaticus filius, ex cholerico cholericus &c. Adeo ut figura membrorum eorum soleat (inquit) se extendere in filios. Sic in lacu Mæotidis omnes nascuntur cum largis & prominentibus capitibus: & læsionem brachii, aut pedis debilitatem vult Aristoteles in filium posse derivari. Neque necesse est, ut idcirco cum Theophrasto statuamus

tuamus, ſubſtantiam filii prorſus, atque omnia ex corpore patris derivari, ita ut ex capite caput, ex manibus proveniant manus. Sufficit ſcire, quod filii ſimilitudinem á parentibus contrahant in vultu, in actionibus, in moribus, & quod mirandum, in infirmitatibus.

Alii bonum ac malum temperamentum tribuunt quoque ſtellis, earumque virtuti, quam infantes inde recipiunt per aërem circa tempus nativitatis; &, quantum ego judico, hac vel illa cauſa concurrente; quia Sol movet elementa, unde proveniunt quatuor qualitates, in quibus conſiſtit vita & conſervatio corporis.

Vehementer placet hæc definitio termini vitæ Hebręis: hanc quoque in magno pretio habet doctiſſimus Aben Ezra in libro

a-mole-doth de causa stellarum. Idem quoque super Cap. XXI II. Exod. his verbis inquit : וידענו כי לכל איש זמן קצוב וזמן ידוע שיכול לחיות כפי החום והלחה התולדית Scimus quemlibet hominem habere tempus determinatum & certum, quo potest vivere pro quantitate caloris & humoris naturalis. Et paulo inferius inquit, hunc esse terminum, de quo David loquitur : *Vel dies ejus veniet.* Eidem sententiæ subscribit R. Ioseph Albo in celeberrimo suo libro
Lib. IV. Ca. 21. Hicari, ubi ait או יומו יבא ומת על המיתה הטבעית: והוא שהגיע זמנו לדבר כפי מזגו *aut dies ejus veniet, & morietur,* hæc est mors naturalis, quando tempus ejus advenit, ut discedat juxta temperamentum suum R. Ioel ben Sueb ad verba illa Davidis : *Domine fac me scire finem meum,* annotat, קצי כפי מזגי finem meum juxta meum temperamen-

mentum) Don Isaac Abravanel ad Ca. xxxvii. Esaiæ ait: יש לאדם מספר שנים קצובות כפי מזגו וכמות לחות השרשי, Homo habet numerum annorum determinatum secundum temperamentum suum, & quantitatem humidi radicalis. Ita ut hic, aliique autores, per terminum vitæ intelligant certam periodum, quæ in uno major, in altero minor est, pro varietate temperamenti.

SECTIO V.

ALii in genere considerant hunc terminum ex ratione temporum; quæ sententia fuit R. Akibæ in libro Iebamoth, R. D. Kimchi in libr Reg. R. Selomoh Athiæ in commentario super Psalm. & R. Selomoh Iarchi ad Eccl. 3. 1. inquit עת לילדת לתשעה חדשים ועת למות קצב שנות כל דור ודור

hora nascendi, videlicet 9. mensium, & *hora moriendi*, annorum in quolibet tempore. Ad cujus rei intelligentiam observandum est, ætatem vitæ nostræ diversis temporibus fuisse circumscriptam. In primordio mundi homines vivebant 700, 800, atque etiam 900 annis, non deficientibus aut mutilis, sed, uti Iosephus, Lactantius ac Augustinus asserunt, 12 mensium integrorum. Postmodum Deus jam hanc vitam reduxit ad numerum 120 annorum. Sic enim ait: *Non disceptabit semper spiritus meus cum homine, quia caro est: & erunt dies ejus* cxx *anni*. Memini quidem aliarum expositionum hujus loci; sed uti bene animadvertit D. Isaac Abravanel & R. Eliezer Asquenazi, istæ alienæ sunt à sacro textu. Ad hanc brevem ætatem reduxit Deus

Jos. l. 1. Antiqui. Lact. 2. de diuin. instit. Aug. l. 15. ciuit. Dei. Gen. 6. 3.

vitam

vitam hominis propter vitia, judicans omnino neceſſe eſſe, ut vitam ejus abbreviaret, & excitaret conſcientiam ejus cogitatione vitæ brevioris, ut hoc pacto ſimul occaſiones peccandi minueret. Quod verò poſt diluvium Sem vixerit 500 annis, Arphaxad, Salem & Heber plus quam 400, Abraham circiter 200 annis: ad illud jam reſpondit Don Iſaac Abravanel: ſicut non tranſilitur ab uno extremo ad alterum non tranſeundo medium; ſic intelligendum eſſe decretum divinum, quod paulatim diminutum fuerit ſpacium vitæ, conſtiteritque intra 120 annos, ad quos multi etiam non pervenerint propter diætæ neglectum, excepto Moſe, qui eos attigit: atque ob hanc cauſam inquiunt Thalmudiſtæ voce בשגם, *quia* caro eſt, deſignatum fuiſſe

Mosem, quia computo Hebræo 345 idem valet quod משה Moseh. Postremo Deus imminuit vitam hominum tempore Davidis, & hoc pacto ajunt Sapientes in Gemara Yebamoth מימי דוד איתמעטו שני דכתיב ימי שנותינו וכולי Tempore Davidis imminuti fuerunt anni. Sic enim scriptum est: *Dies annorum nostrorũ sunt* lxx, &c. Vbi Tosaphot inquiunt, etiamsi inscriptio psalmum hunc Mosi tribuat, tamen per Mosen intelligi alium prophetam, non vero Moseh legislatorem: vel Davidem eum cecinisse nomine Mosis. Sed verò causa nulla est, cur non possit tribui Mosi, quatenus Moses prophetico spiritu in eo prædixit brevem ætatem postmodum futuram. Quicquid sit, experientia testatum fecit, ætates fuisse redditas contractiores, & qui volunt

lunt istam mutationem attribuere substantiæ victus, positioni cælesti, coniecturæ doctorum hominum in cognoscenda virtute medicinæ, ii errant, quia ut diximus, causa ejus fuit dispensatio divina: Cui sententiæ astipulatur Chrysostomus, aliique varii auctores. Neque huic repugnat, quod refert Plinius de Argãthonio, Ægimio, Epimenide Gnosio, Pictoreo, & Dãdone, quod in multos annos produxerint vitam. Plinius enim ita expedit, quòd Arcadiæ incolæ annũ habuerint trium mensium. Verum etiam est, quosdam eodem modo supputare longas ætates. Narrat quidam auctor, senem quendam Otenti plus quàm centenarium mutasse dentes cutem, capillos, & ungues,

Hom. 22. in Gen. Philo de Gigant. Ioseph. 1. de Antiq. Lact. l. 2. c 5 Rupert. l. 4. in Gen. c. 14.

Tost. ad Gen. qu. 11 Plin. l. 11. c. 30.

ex qua mutatione viſus fuerit multo junior, vixeritque per totidem annos. Idem author hoc refert de quodam ex Rioja, & de vetula quadam Abbatiſſa. In Gallia quidam vocatus Ioannes Eſtampis, & vulgò Ioannes de Temporibus dicitur vixiſſe 300 annos. De quodam Turca idem refert Cardanus, uti & de quodam Indo, quod vixerit 340 annis. Licet autem natura aliquando ſua monſtra & exceſſus producat, tamen non facile hiſce credendum eſt, cum humana nitantur authoritate. Haud facilius credo, quod Seres vixerint 200 annis, uti vult Strabo, & duplo diutius vivere Æthiopas quam nos, uti cenſet Solinus.

Non eſt autem dubitandum quin regiones aliæ aliis ad vitam

Valer. Taren. lib. 6. Phil. cap 12 Paul. Aem. lib. 5. de reb. Franc. Card. Lib 12 Subtil. Ferd. Caſtaneda lib. 8. Maffeius hiſt. Ind. lib. 11. Solin. lib. 15. cap. 13.

pro-

protollendam aptiores ſint, magiſque idoneæ: & licet diſcrimẽ climatum vitam reddit magis vel minus productam, tamen ſupputatio 120 eſt maxima, quæ in noſtris deprehenditur annis. Sed ad 120 producit Beroſus, Ægyptii ad 100, Solon ad 84. extendit; David vero ad 70. Atque hoc coincidit cum illo Trebellii, quod juxta Mathematicos non ultra 120 annos producatur ætas.

Ariſt. Probl. 7. Sec. 14. Plin. l. 7. c. 12

Vide Rodig. lib 19 cap 9. Treb. Poll. in vita Claud. Imp.

Ex quibus omnibus colligitur, vitæ terminum intelligendum eſſe juxta ſecula, in quibus plures vel pauciores ſunt anni.

SECTIO VI.

ISta eſt in genere ſententia Hebræorum de vitæ termino, quorum tres opiniones, uti quidem mihi videtur facile poſſunt conciliari, Conſtellationes enim,

& influentiæ cælestes, quæ imprimuntur in infantibus, non est dubium quinmultũ conferant ad temperamentũ; quod pro ratione sæculorũ varium fuit. Atque hoc est, quod eruditissimus Aben Ezra vitæ spacia nunc attribuat astris, nunc tẽperamẽto, quia una causa æque atque altera est vera. Et hoc pacto ait Mehiri in libro suo Mehir Tehilot החיים נמשכים לאדם מצד שני סבות אחד מצד הזמן שהוא מצד הגלגלים ואחר מהחום הטבעי (vita hominis à duabus procedit caussis, una est ex parte temporis, quod provenit ab orbibus, altera ex parte caloris naturalis;) qui alteratur pro varietate sæculorum.

Neque vero intelligunt Hebræi istum terminum esse præcise prædestinatum & præfinitum à divina providentia, idque propter varias rationes.

I. Quia

I. Quia Deus propter observationem quorundam præceptorum pollicetur vitam longam, uti Exod. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut prolongentur dies tui.* Et Deuter. *Propterea ut prolongentur dies tui.* Et alibi: *Hac re prolongabitis dies.* Si vero ab æterno dies essent decreti & constituti á Deo, profecto vana esset ejusmodi promissio, nec posset quis excedere decretum limitem. Multo minus Dei est aliquem decipere. Itaque sequitur, in potestate hominis esse diu aut breviter vivere, uti postmodum demonstrabimus.

Exod. XX. 21. *Deut.* IV. 40 *ibid.* XXXII. 47.

II. Invenimus aliquos magno cum desiderio à Deo petiisse vitam. Sic Hiskihu: *Memento Domine, quod coram te ambulaverim cum veritate & corde perfecto.* David inquit: *Dies diebus regis superaddito.* Cain formidans

2 *Reg.* XV. 3. *Psal.* LXI.

 mor-

Gen. mortem ait: *Quisquis me inve-*
IV. 14. *nit, me trucidabit.* Alii vero
mortem postularunt, uti Elias,
1 *Reg.* cum inquit: *O Domine, cape*
XIX. 5. *opimam meam, quia non bonus ego*
Ionah *præ patribus meis.* Ionah, *Et pe-*
IV. 8. *tivit animæ suæ mori.* Iam vero si
vitæ terminus absolutè esset præ-
destinatus, vana fuisset precatio
Hiskiæ, Davidis, & Caini: su-
perflua quoque oratio Eliæ, &
Ionah. Hinc Talmudistici in-
quiunt in guemara Berachot, si
quis ad urbem veniens, & au-
diens ingentem tumultum intra
moenia esse, voce sublata ad
Deum, dicat, O Deus tale ab
ædibus nostris averte malum:
vel siquis, postquam femina
concepit, & fœtus in utero for-
matus est Deum roget, ut velit
largiri puerperæ masculum:
הרי זו תפלת שוא certe ejus oratio
vana; quia cum hoc factum est
aut

aut ſit, non poterit immutari. Idem poſſumus huic rei aptare. Quia ſi ab æterno omnia eſſent decreta, in vanum quis eſſet ſollicitus aut anxius.

III. Magnum huic veritati pondus addit, quod Deus ad Salomonem ait. *Poſtquam non poſtulaſti multos dies, nec divitias, neque animam hoſtium tuorum, ſed tantum flagitaſti ſapientiam ad judicandum: Ego tibi do cor ſapiens, divitias, & gloriam. Et ſi ambulabis in praeceptis meis, uti ambulavit pater tuus, prolongabo dies tuos.* Vnde manifeſto liquet, quod Salomoh vitam tanquam rem contingentem potuerit petere; & quod Deus ipſi largiendo ſapientiam, divitias & gloriam, vitam quoque polliceatur ſimul, non abſolute, ſed conditionate: *Si ambulaveris in viis meis, &c.*

1 *Reg.* III. 2.

IV. Si

IV. Si terminus vitæ est definitus, nemo poterit mortem anticipare: Et tamen invenimus Deum ipsum monere hominem, ut sibi caveat à periculis & malorum occasionibus. Si *quis plantaverit vineam, aut duxerit uxorem, &c. revertatur domum, ne moriatur in praelio isto.* Et alibi: *Facias loricam ad tectum tuum, &c. ne quis decidat ex eo.* Unde consequitur vitæ terminum non esse præfinitum divina prædestinatione absoluta: enimvero posset quis se in periculum conjicere, nec quicquam damni inde recipere, cum non possit divinum decretum falli.

Deut. xx, 5, 6, 7.

V. Ipse David inquit: Vt *vivit Dominus, quia nisi Dominus eum percusserit, aut dies ejus venerit & moriatur, aut in praelium descendet & peribit.* Si per illa verba, *Aut dies ejus venet,* intellexisset diem præfinitum à

1 *Sam.* xxvii 10.

Deo,

Deo superflue David mentionem fecisset trium generum mortis. nam quoquo modo homo moreretur, semper præfinitus ejus fuisset dies. Et si ita se res habet, falsum liquet esse dictum. Saul enim non minus potuisset occumbere in prælio quam á Deo percuti.

VI. Nullus occurrit in sacris literis locus, qui asserit, Deum præfinivisse aut determinasse dies vitæ; sed tantum ex prædictis versibus colligitur, esse vitæ terminum, qui, uti exposuimus, dependet à tempore, à cœlo, & temperamento.

Sic enim Iob inquit, vitam hominum habere sua statuta, quæ nõ possunt transgredi. Quo vult dicere, mortem necessario obvenire omnibus mortalibus. Sapiens enim ait: *Non homo, impetrans in spiritum.* Et David: *Quis*

Psal. lxxxix 49. *Quis vir vivet, & non videbit mortem?* Et alibi: *Dies nostras esse umbram super terra, & non* 1 Paral. lix.15. *spem.* Quod vero inquit: *Numerus mensium ejus tecum*, nihil aliud significat, quam præscientiam divinam, quia Deus ab æterno omnia simul novit ac prævidit.

MENAS-

MENASSEH BEN ISRAEL

DE

TERMINO VITAE,

an mobilis vel immobilis ſit,

LIBER II.

SECTIO I.

CVm libro ſuperiori dictum ſit, vitam humanam certo termino includi: proximum eſt, ut videamus, an terminus ille ſit fixus, ita ut neceſſario debeat ab homine attingi, & excedi aut anticipari non poſſit; an vero è contrario ſit mobilis : idcirco impræſentiarum hac de re pau-

paucis agere visum est.

Communi omnium Hebræorũ suffragio, sive vitæ terminum aiant dependere ab astris, sive a corporis temperamento, sive a variantium seculorum decursu, vitæ terminus est mobilis. Hinc Rabbi Bahye ait, יש על כח המערכה כח עליון כפי שכר והעונש id est, est supra potentiam astrorum, alia excellentior potentia quæ determinat res per præmiũ, aut pœnam. Idem etiam confirmatur ab erudito Aben Ezra super Exod. cap. XXIII. & in sequentibus, constituendo vitam in temperamento corporis, ait והדבק בשם יחזק החום והלחה בכח הנשמה ואז יחיה האדם יותר מהזמן הקצוב id est, quicunque unitur Deo, ipsi corroboratur calidum & humidum per vim animæ, & tunc vivit homo ultra limitatum tempus. Itaque juxta hanc sen-

sententiam vitæ terminus præcidi, & extendi potest. Quæ res etiam facit, ut homines valetudinis suę rationem habeant, ad eam vel conservandam, vel ubi amissa est recuperandam. Hæc hominibus suadet mutare solum & salubriorem aera quærere. Hæc rhabarbarum, catapotia, & cathartica medicamenta, aliaque plura, quæ palato sunt ingrata, propinari. Hæc denique medicos dedit, & quotidie exercet. Et profecto sicut ineptũ nimis videri debet, illas in rep. res consectari, ad quas nemo ullo studio, aut cura & labore pervenire potest: ita etiam perstultum esse judico, ut solicitus & anxius quis sit de vita, quæ socordia elabi, aut cura protegi, & conservari non potest, ob fixum, & immutabilem istum, quem quidam ponunt termi-

terminum. Et frustra plantas, & herbas, Dei beneficio, e sinu suo terra produceret, quæ non alium in finem, quam in usum medicinæ nascuntur.

Vt autem hanc rem firmius comprobemus; videatur Ecclesiastes cap. 3. 1. Quo loco vitæ terminum mobilem esse asserit, cum ait: *hora nascendi, & hora moriendi.* Nativitatem, & interitum exæquari videmus, quatenus utrumque certam horam habet. Si itaque per horam mortis, intelligenda est illa Dei decreto fixa, & immutabilis vitæ meta: idem etiam dicendum erit de nativitatis hora. Quod si ita dicat aliquis, naturæ nomen e mundo deleat: nam hoc pacto oportet dicatur Deus decrevisse natalem Abrahami, ejusque longævitatem, connubium cum Sara, conceptum

Sa-

Saræ, denique masculi partum: quæ omnia ascribere velle præfinito decreto, absurdum mihi videtur: cum usus & experientia ostendat, ea ab hominum libero arbitrio pendere. Sed quomodo igitur intelligendum est, quærat rursum aliquis, vitæ horam aliquamconstitutam esse? R. Selamoh ait, Hora nascendi novem mensibus finitur: moriendi vero variat, pro diversitate seculi. Et uti supra diximus, ut plurimum spatium istud est spatium L X X. annorum. Hoc ita posito concludimus terminum illum L X X. annornm, seu potius vitæ metam incertam & mutabilem esse, cum spatium il'ud novem mensium, seu tempus gignendo homini idoneum plerumque sit incertum, & mobile. Tempus nativitatis incertum est. Nam etiamsi Talmudi-

Talmudici doctores fœtum mutorum animalium certo tempore absolvi statuunt: nihilominus tamen partem hominis non ita certo spatio perfici sentiunt. Triplex enim pariendi tempus faciunt: unum nono mense, quæ communis, & ordinaria ratio est. Idque significari volunt voce, הריון id est, conceptus, quæ continet numerum cclxxi. totidem autem sunt in novem mensibus dies. Alterum tempus, quo mulierem uterum ferre compertum est, extenditur in VII. menses. Vnde in Talmud Hierosolymitano ad verba hæc הרבה ארבה עצבונך id est, *multiplicando multiplicabo tuos dolores*, commentantes inquiunt
Gen. 3. 16.
הרבה ארבה id est, si fueris הרבה tunc ארבה *multiplicabo*, id est, vivet, & erit multiplicatus Nam vocabulum הרבה *multiplicando* valet

let CCXII. dies, qui faciunt septem menses. In hac re astipulantur illis Philosophi, qui dicunt partum ante mensem septimum, non esse vitalem: ut enim non dicam de Empedocle. inter Rabbinos aliam R. Semuel in libris suis Iephe toar, & jephe Marhe, aliique plures dicunt singulos planetas, qui septem numero sunt, partes suas in nativitate hominis obire Tertium tempus extenditur usque ad XII. mensem. Agellius refert, undecimo post excessum mariti mense, feminam Romæ peperisse. Imperator Adrianus ex consensu medicorum, & philosophorum, statuit, id esse posse. Bernardus narrat de quadam (quod vix credibile est) quæ per XVI. menses gravida fuit. Itaque ordinarium quidem est, ut per novem menses femina uterum

Empedocles apud. Plut. Plot. l. de placitis. 8. Macr. l. 1 in somno Scipionis Censorinus l. de die natali. Agell. lib. 3. cap. 16

uterum gerat: interea tamen extraordinariè tempus illud anticipatur, vel exceditur. Sic etiam ordinarius & communis vitæ terminus ſunt c x x. anni, quam tamen multi non attingunt, imo pauci attingunt. Ac proinde vitæ noſtræ terminus non præciſe fixus, ſed mobilis eſt.

SECTIO II.

VIta humana variis modis abbreviari poteſt, videlicet, vel ſingulari providentia divina, vel caſu, vel natura. Atque has tres cauſas pono loco trium Parcarum, quibus gentiles vitæ limites ſolebant tribuere. Animadverte enim Dauidem hoc pacto loqui: *Vivit Dominus, quia niſi Dominus* *percuſ-*

1 *Sem.* XXVI. 10.

percusserit eum, vel dies ejus venerit & moriatur, vel in prælium descenderit, & perierit. En hic vides, illum constituere certum diem vitæ ejus, qui est pro ratione temperamenti vel constellationis cœlestis, uti supra dictum est: simulque significare vitam variis causis posse decurtari. Per providentiam divinam dico. Ex. gr. *S*i anima hominis exscindatur è populo, de qua pœna legere est in S. Scriptura, & vocatur כרת *excidium.* Qua pœna juxta Cabalistas Aramban, & Ishac Abravanel alicui vita adimitur in medio dierum suorum, & anima a corpore separata, privatur conspectu Dei. Hinc itaque liquet ob peccata vitam decurtari posse: uti contra ob virtutem prolongari potest. Sed rem exemplis illustremus. Rabbini aiunt, A-

Abraham vixisse c l x x v. annos: quinque minus, quam filius Isaac. Nēpe ei decurtati anni vitæ fuere, ne videret improbitatē nepotis sui Esau. Item Rachelem

Pirq. R. Eliezer. c. 36.

בלא עתו ante diem suum obiisse. nam היוצא מפי צדיק כיוצא מפי מלאך quod exit ex ore justi, tale est ac si exiret ex ore angeli. Iacob ignorans ab ea sublata esse furto e domo paterna idola, & simulachra, illi maledixit. *Apud quem inveneris deos tuos, non vivat.* Item de Betuele legimus, cum morte multatum esse, quia volebat impedire matrimoniū, cum ageret apud Eliezerem de connubio Ribcæ: Nam postea nulla amplius ejus fit mentio, neque quippiā egisse, aut dixisse amplius legitur. Sic aiunt Iosepū etsi vixerit cx annis ante omnes fratres suos mortuum esse, propter severum dominium, quod in fratres

Gen. XXXI. 32.

fratres exercebat. Abiah dicitur à Deo interemptus, ob peccatum, quo se inquinaverat, dicendo coram coetu populi: *Vos alii estis magna multitudo, & vobiscum vituli ex auro, quos fecit vobis Ieroboam pro diis.* Cum quo convenit, quod Esaias ait: *Inter populum labiis pollutum habito.* Et venit Angelus, qui attigit carbone labia eius, quibus peccaverat. Quæ etsi ex parte humana autotitate nitantur; nihilominus tamē inde liquet veteres credidisse vitā abbreviari posse. Sed preter hæc, alia plura sunt erudentiora exēpla. Et quidem in Saule & filiis eius. Quod S. Scriptura testatur his verbis *Mortuus est Saul propter prævaricationē suam, qua praevaricatus fuerat in Dominum, super verbum Domini, quod non custodivit.* Nabalem morte repentina percussit Deus.

2 *Chro* XIII. 8.

2 *Chro* XIII. 20.

Es. VI. 5.

1 *Ch.* X. 13

Sam. Quum autem transiissent fere
xxv. decem dies, percussit Deus Na-
38. bal & mortuus est. Annotant
hic Hebræorum magistri, decem
illos dies esse, qui veniunt inter
Ros asana, id est, initium anni, &
diem Expiationis; quos voca-
mus dies pœnitentiales: nam
tunc unicuique vitæ suæ ratio
ineunda est, & considerandum
quid fecerit, aut dixerit. Iere-
mias prædixit Hananiæ falso
prophetæ mortem suam: *hoc*
Ier. *anno morieris, quia praevaricatio-*
xxviii *nem locutus es contra Dominum.*
16. Sed quid dicemus de immensa
ista multitudine, quæ aquis di-
luvii periit? quos Sodomæ &
Gomorrhæ consumsit? de Ko-
rach, Dathan, & Abiran, quos
cum impio cœtu terra degluti-
vit? de atroci illa peste, quæ
plurimos ex Israele tempore
Davidis abripuit? An non satis
liquet

liquet ſingulari providẽtia vitam
eorum á Deo præciſam eſſe!
Huc pertinet illud quod David
ait: *Quia benedecti ab eo heredi-* *Pſal.*
tate accipient terram, & maledi- XXXVII
cti ab eo excidentur. Et Ieremias, 22.
Qui parat divitias, & non in judi- *Ierem.*
cio, in dimidio dierum ſuorum XVII.
derelinquet eas. Quod explicans
R. Kimechi ait, נפל מת טרם זמנו
morietur ante tempus. Iob *ſi* *Iob*
non audierint in enſem tranſibunt. XXXVI
Salomon ait, *Impii de terra ſucci-* 12.
dantur. Et bonum non erit impio, *Prov.*
& non prolongabit dies. Non ſis 22.
ignorans: nam morieris extra *Eccl.*
tempus tuum. Ad hæc Chaldæus VIII.
paraphraſtes ait, יתקצרון שני חייך למפת 13.
עד דלא מטא זמנך למכות abbreviabunt *Ibid.*
dies ſuos, quia morientur ante- vii.18.
quam tempus moriendi venerit.
& alio in loco ait, בעלמא הדין
יתקטען יומי חיוהי, in hoc mundo
decurtabuntur dies vitæ ejus.

 Et

Et quia præmatura morte Deus
ſolet punire peccatores: idcir-
Pſ. co rogat David, *Deus mi, ne*
cii. 25 *ſuccidas me in medio dierum meo-*
rum. Similiter terminum vitæ
Sam. diſtinguens ait, *Vivit Dominus*
xxvi. *quia niſi Dominus percuſſerit ei,*
10. *vel dies ejus venerit.* Cabaliſtæ e-
juſdem ſunt ſententiæ, uti liquet
ex libro Zoar, ubi in Deuter.
columna Dxlix. ſuper hoc Salo-
Prov. monis dicto, *Et eſt conciſus ſine*
xiii. *judicio*, aiunt ודאי הכי הוא לגלאה לבתש
דאתכנש עד דלא מטון יומוי certe ita
eſt, ad detegendum homini,
illum mori [ſæpenumero]
antequam ſui dies veniant.
Quicunque igitur ſic affecti
fuerunt, vitam longiorem habe-
re potuiſſent, vel mediante bono
temperamento, vel faventium
ſiderum influxu. Huc etiam poſ-
ſunt illi referri, qui propter de-
licta ſupplicio afficiuntur, ut
Ioab,

Ioab, Simehi, & plures alii. De quibus Salomon, *contemnens vias suas morietur*. Ad quæ verba doctissimus Aben Ezra commentatur. קודם עתו שבית דין ימיתוהו Ante horam suam, quia senatus eum tollet.

Prov. xix. 16

SECTIO III.

SEd præter hæc vita nostra etiam decurtari potest fortuna seu casu. Ac proinde R. Iuda Levita ad verba illa Samuelis, *vel in praelium descendet, & peribit*, ait ו׳ היא המיתה המקרית id est, ista est causa accidentalis. Et R. Ioseph Albo ירמוז על המיתה המקרית המגעת לאדם בלא עתו ובלא חטא קודם אלא מצד המערכה hoc est, significat mortem, quæ casu homini supervenit extra tempus eius, & absque prævio peccato: ac tantum vi constellationis cælestis. Itaque necesse est, ut

Cuzari l. 5. Hicarim lib. 4. cap. 2.

rem hanc planiorem faciamus, à nobis explicari, quid casus seu fortuna apud Hebræos significet.

Ac primo quidem solent distinguere inter casum, & fortunam: casum enim appellant קרי seu Keri. Hunc attribuunt rebus inanimatis & sẽsu carẽtibus. Ex. gr. si vento spirante excutiantur aliquæ tegulæ e tecto domus, quæ hominem opprimant. Duo hic habemus, primo causam naturalem: nã naturale est uentum spirare, idque uel ad purgandum aerem, uel in usum segetum, & plantarum. Deinde illud quod proprie casus dici meretur: nam casuale est, è tecto tegulam excuti, quæ hominem opprimat. Vel Casum accipiunt strictius, & attribuunt eum rebus animatis, & sensu utentibus, uti animalibus, quæ agunt

aguunt ex instinctu naturæ.

Fortunam vero appellant, הזדמן seu Hizdamen: atque eam solis hominibus attribuunt, qui ratione & intellectu agunt. Quæ duo licet hoc pacto nonnihil inter se differant: quia tamen ea differentia valde est exigua & levis, idcirco plurimum una definitione utrumq; cõplectuntur. Nã juxta R. Iuda in suo Cuzari, & Rab. Iehuda Moscato in Col Iehudach, Casus, & Fortuna, definiuntur hoc modo הם הדברים הנמשכים במקרה לא בטבע ולא בסדר ולא בכונה id est, sunt ejusmodi res, quæ fiant per accidens, neque ex natura, neque cum ordine, neque ex intentione. Ex. gr. *Si* quis fodiens puteum, inveniat thesaurum. Quod Claudius volens sese abscondere ob mortem Caligulæ, conspectus sit à milite, & ita Imperator factus sit. Quod

ipse Caligula á cœna ob ambuturus teste Suetonio, in via præter opinionem sit occisus. Ista, & id genus alia, casum, seu fortunam appellare solent Hæbræi. Vnde etiam qui bona vel mala fortuna utuntur, dicuntur fortunati, aut infortunati.

Cuzari l. 5. art. 20 Aquéda saar 26.

Hinc à R. Iuda Levita, Rab. Isach Arama, & R. Salomoh Iebet, á Levi in libro suo Dibre Salom dividuntur omnes nostræ actiones in quatuor classes: nēpe אלהיים טבעיים מקריים ומבחריים id est, divinas, naturales, casuales, & voluntarias. Omnia enim, quæ in hoc mundo fiunt, illa aut à divina providentia proficiscuntur, aut à natura fiunt, aut casu, aut ex arbitrio & libertate hominis. Quæ distinctio sane perfecta & elegans est. Hebræi etiam statuunt hominem quandoque

doque á Deo deſeri ob vitia, & peccata ſua, ac tum illum fortunæ & caſui obnoxium fieri dicunt. Idque probant ex Levitico, *Si ambulaveritis mecum caſu, & ambulabo etiam ego vobiſcum in ira caſus.* Id eſt (juxta Abravanelem, & omnes autores) ſi non ambulaveritis mecum perpetuo, ac perfectiſſime, & ſingulari cura, ac ſtudio opera veſtra exerceatis, quæ caſu quis faciat: tum ego vos eo loco, quo mea ſingulari providentia tuti eratis, relinquam expoſitos למקרי ופגעי העולם id eſt, caſibus, & accidentibus mundi.

Levit. xxvi. 6. 7.

Hoc autem a Deo fit, quando non reſpicit ad homines, uti in Deuteronomio legitur: *Et ego abſcondendo abſcondā facies meas ab illis*, id eſt, facies providentiæ, & benignitatis ejus.

Deut. xxxi. 18.

Idcirco

Idcirco & Hebræis solet dici, sufficere vitium, vel peccatum aliquod, etiamsi non sit mortale, quo aliquis casu pereat. Quod etiam confirmatur ab illis auctoritate sacræ Scripturæ: nam alicubi Moses præcipiens Israelitis, ne lædantur ab angelo vastatore, inquit: *Et vos non egredi-*
Exod. xii. 12 *mini unusquisque ex ostio domus usque mane:* & alibi, *Qui ædi-*
Deut. xx. 5. *ficavit domum novam, & non initiavit eam, vadet & revertatur*
Ibid. xxiii. 8. *ad domum suam, ne forte moriatur in prælio, &c.* Itē, *& facies septum tecto tuo, & non pones sanguines in domo tua cum ceciderit cadens ex eo.* Ex quo manifeste liquet, in hominis arbitrio quandoque positum esse, ut mortem devitet, vel imprudenter sibi accersat. Nam quemadmodum regem non tangit cura ejus viri, ut illum ad

ad aliquam dignitatem, & honorem evehat, qui ejus obsequio se non subjicit: sic etiam Deus non gerit singularem aliquam curam eorum, qui omni reverentia, & obsequio ejus venerandum nomen prosequi non student: sed permittit illos ludibrio fortunæ. Idem etiam confirmatur à Rabbi Levi ben Gerson in ejus Milhamot à *Sem.* לא יחויב מהנחת ההשגחה שלא יהיה אפשר שיגיע לרעים הטובות הנכונות לבא עליהם מצד המערכה אבל אמרנו שהם משולחים ועזובים אל המקרים ההם המסודרים מהגרמים השמימיים ולא ישמרם השם מהרעות הנכונות לבא עליהם מצד המערכה אחר שאינם במדרגה יהכן שתדבק בם זאת ההשגחה האלהית id est, non sequitur, ut talem ponamus providentiam, qua impossibile sit, ut malis aliquid boni eveniat, quod á stellis illis destinatum est: sed dicimus, tales expositos esse casibus ad quos cœlestis cõstellatio inclinat; & Deum illos non pro-

Milh. a-Sem. lib. 4. c 6.

protegere á malis cœlitus deſtinatis ; quippe qui conſtant eo gradu , ut pari paſſu eat cum illis divina providentia. Idcirco Talmudici doctores aiunt,

Scabah cap. 1.

לעולם אל יעמוד אדם במקום סכנה ויאמר שעושין לו נס שמא אין עושין לו נס id eſt , nunquam ſe conjiciat homo in locum periculi , & dicat , Fiet ibi in gratiam mei miraculum. Fieri enim poteſt, ut nullum ibi miraculum contingat. Propterea

Tabanit c 3.

Rab, & Semuel, ut fertur, nunquam pone , aut ſubter ruinoſo ullo pariete ambularunt , qui Nahardeæ erat : quanquam XIII. annis ibi vixerant, ſed cum aliquando viderent ſub eo ambulantem Rab Ada bar Aaba, dixit alter alteri, Quid nunc impedit nos , quominus illum locum ſubeamus , cum ibi ſit Rab Ada bar Aaba ? דנפישא זכותיה ולא מסתפינא id eſt , quia multa ſunt

ejus

ejus merita, & non eſt quod timeamus. Quo nihil aliud ſignificatur, quam affectum ſequi motum cauſarum naturalium, quem nemo niſi pius, & Dei timens, evitare poteſt, ſive is, qui multa merita habet.

Sed illud notandum eſt multa ſæpe evenire, quæ caſu, & forte fortuna fieri putamus: quæ tamen ſingulari cura, & nutu providentiæ divinæ fiunt. Ac proinde ſuper iſtis Exodi verbis XXI. 13. *Et qui non inſidiatus eſt, ſed Deus fecit occurrere ad manum ejus*, commentantes Rabbini aiunt, Deum non aliter, quam ſi caſu fieret, præparare occaſiones, quibus juſtum judicium ſuum exequatur. Quod ut aliquo exemplo illuſtrent, narrare ſolent. Fuiſſe aliquando duos homicidas, quorum alteri ex errore, alter deſtinato virum

occiderat: ſed uterque abſque teſtibus illud commiſerat. Quid igitur interea fit á Deo? Num inultum finit factum? Nequaquam: ſed ecce Deus rem ita dirigit, ut uterque in idem diverſorium veniat, ubi ille qui ex errore homicidium fecerat, aſcendit ſcalas, ex quibus deſuper lapſus cecidit in eum, qui deſtinato animo, ſanguine alieno manus ſuas polluerat, eumque obſtruncat, quo facto aufugit in locum refugii, ſive in aſylum, ut tutus eſſet á vindice ſanguinis: atque ita uterque dignas facti pœnas luit. Hoc enim eſt, quod hiſce verbis indicantur, *Non inſidiatus eſt, ſed Deus fecit occurrere ad manum ejus*: ita ut hujus infortunii cauſa Deo attribuatur. Alias ſæpe etiam concurrunt caſus, & providentia divina; uti circa mortem impii regis Achab:

Achab : nam quanquam per prophetam mors ejus prædicta fuerat,tamen refert sacra Scriptura,præter opinionem & intentionem arcum tendentis ab eo regem casu vulneratum esse. Vbi duas illas causas concurrisse vidimus, casum, & Providentiam Dei. Concludimus igitur, casu, sive inopinato eventu,hominibus vitam quandoque precidi, & abbreviari posse. Huic illi maxime obnoxii sunt, qui in castris & militia versantur ; nam uti David inquit, res bellicæ suo modo procedunt, modo hunc, modo illum, absque ullo etiam prævio mortali peccato, abripientes, nisi ob singulare meritum Deus, hunc illum tueatur, & custodiat ; uti jam á nobis dictum est. Ideo etiam Rabenu Bahye super istis verbis legis divinæ, *Ne forte moriatur in* *Deut. xx. 5.* *prœlio*

prœlio, commentatum esse le-
legimus כלומר בלא יומו מכאן שהמת
במלחמה מת בלא יומו id est, (vult di-
cere extra diem suum. Ex quo
apparet eum, qui in prælio oc-
cumbit, mori die non suo.)

SECTIO IV.

SEd naturaliter etiam a[illegible]e ab-
breviari potest, ac primo qui-
dem ex temperamento corpo-
ris, quod per generationem ex
parentibus in liberos transfun-
ditur: nam juxta Hippocratem
ex pituitose patre nascitur filius
pituitosus, ex bilioso, biliosus:
ac proinde mala aeris cõstitutio
insalubre reddit clima: inordina-
ta affectuum & prava vitæ insti-
tutio, magna ex parte sunt causa
brevioris vitæ. Hinc Philo Iu-
dæus ait, varios cibo stomacho
graves

Philo Iud. lib. de mundi opific.

graves,& insalubres esse. Chrysostomus inquit, uti navis nimium onerata demergitur, ita homo nimia ciborum saburra onustus, mortem sibi accelerat. Etenim medici docent multorũ ciborum, & quidem diversorum congestionem corpori noxiam esse, & causam celerioris mortis. Quemadmodum de Vitellio, & Iuliano, narratur illos crebro de die variis cibis usos fuisse. Denique ex pravo alimento, plurimæ infirmitates existunt, quæ vitam hominibus breviorem reddunt, quas Talmudici dicunt esse numero 903. idque designari volunt voce תוצאות *ad mortem exitus*. Peccatur autem contra leges cõservandæ valetudinis, quantitate, qualitate, tempore, modo: quando hæc non rite observantur. Hinc illud Davidis, *Malum occidit malitia*.

Chrysost. in orat. contra luxum & crapulam

Psal. lxviii. 21.

Psal. XXXIV 22.

malitia, id eſt, tales quaſi propria manu ſibi mortem acceſſerunt. Quo etiam referri poſſunt omnes illi, qui ſibi ipſi violentas manus inferunt, ut Achitophel, & alii. Atque hæc omnia, quæ jam diximus de cauſis celerioris mortis, optime obſervata ſunt á doctiſſimo cum Philoſopho, tum Medico, Moſe Ægyptio, in Yad a-hazaka: nam ubi aliquot leges poſuiſſet conſervandæ ſanctitati utiliſſimas, ſubjungit denique,

Alachot deot. cap. 5.

כל המנהיג עצמו בדרכים אלו שהורנו אני ערב לו שאינו בא לידי חולי כל ימיו עד שיזקין הרבה וימות ואינו צריך לרופא ויהיה גופו שלם ועומד על בוריו כל ימיו אל״א אם כן היה גופו רע מתחלת ברייתו או אם היה רגיל במנהג מן המנהגות הרעים מתחלת מולדתו או אם תבא מכת דבר או מכת בצורת לעולם:

(Quicunque regulas illas obſervarit, quas demonſtravimus, ego ipſi aſſero, illum nulla infirmitate laboraturum omnibus diebus ſuis; ſed nonniſi in ultima

ma ſenectute moriturum, neque opus habiturum medico: corpus ejus perfectum permanſurum in ſanitate omnibus diebus ſuis; excepto ſi corpus ejus fuerit infirmum à principio nativitatis ſuæ, vel regionem, in qua commoratur, infeſtet plaga peſtis, aut famis. Hinc videmus, quibus de cauſis R. Moſes cenſeat vitam abbreviari poſſe, nimirum, mala complexione, & pravo regimine vitæ, vel providentia Dei, ſive aliquo caſu, qui evenire poteſt tempore peſtis, aut famis.) Atque hæc quidem de variis modis, de quibus vita decurtari poteſt, etiamſi repugnent vitæ termino. Nunc eo progrediamur, ut oſtendamus, vitam prolongari poſſe.

SECTIO

SECTIO V.

VAriis in locis promittit
Deus piis, & juxta præ-
cepta ſua ambulantibus, longam
vitam, uti Exod.20.12. *Honora*
Deut. *patrem, & matrem tuam, ut pro-*
xvii. *longentur dies tui.* Et alibi, *ut*
20. *prolonget dies ſuper regnum*
Ibid. *ſuum.* Item, *ut bene ſit tibi, &*
*xxii.*7 *prolongare facias dies.* Similiter
Pſal. per prophetã David, *longitudine*
91.16. *dierum ſaturabo eum.* Selomoh,
Prov. *odiens cupiditatem prolongabit dies,*
xxviii Et alibi, *Nam in me multiplica-*
16. *buntur dies tui, & addentur tibi*
Ibid. *anni vitæ.* Et aliis locis pluribus,
ix. 11. expreſſe hoc promiſſum datum
eſt à Deo, eum timentibus &
piis Verum enimvero inter
noſtros, contentio eſt ſuper qua-
litate promiſſi, & forma, qua

iſta

iſta vitæ prolongatio intelligenda ſit. Rabbi Moſes Gerundenſis exiſtimat, illud promiſſum extendi uſque ad ſenectutem, hoc eſt, L X X, aut L X X X annos. Hinc ſuper iſta Exodi, *Numcrum dierum tuorum complebo*, ait
אמלא שלא ימות במלחמה בשנוי האויר רק ב
בזקנה ימים כמספר חיי האדם בדורותיו כגון ש
שבעים ושמונים שנה כדוד המלך :
complebo, id eſt, non morietur in prœlio, aut peſtilentia, ex immutatione aeris, ſed in ſenectute: Dies ſicut numerum vitæ hominum in quo ſeculo, hoc eſt L X X, aut L X X X annorum, uti rex David. Idem ſentit R. David Kimhi, unde ad illa Samuelis, *quod completi*
erant dies diei & jacueris cum pa- 2 Sam.
tribus tuis, hæc ait, זקן ומלא ימים והם vii. 12.
חיי האדם הארוכים ברוב שהם שבעים שנה :
ideſt, ſenex, & plenus dierum, nẽpe vitæ longiſſimæ, quæ plerunque

runque

runque est L X X annorum. Idcirco quotiescunque ex sacra Scriptura occurrit ista phrasis תוספת idest, *addita menti*; uti in
Prov. illo, *Timor Domini apponet dies*,
x. 27. item, *& addentur tibi anni vitae*,
Ibid. per illud *additamentum*, intelli-
ix. 11. gitur aliqua infirmitas, aut mala temperies á qua homo liberatus est. Nam si quis praecepta Dei observet, etiamsi in gravem morbum incidat, vel aliqua infirmitate laboret, Deus est potens eum inde liberare, & vitae aliquot annos adjicere, quemadmodum etiam á Deo fieri ex istis locis liquet. Et si hoc homini à Deo detur, felix est, & pervenit ad metam L X X, aut L X X X annorum. Hinc R. Ioel ben Sueb in libro NorahThehilot super isto Davidis, *dies super*
Psal. *dies Regis adjicies, anni ejus sicut*
lxi. 7. *generatio & generatio*, ait, Davidem

dam nihil aliud petere, quam vitam ordinariam sui seculi. Et Rabbi Selomoh id paulo expressius, per generationem intelligit, inquit David septuaginta annos: nam bis xxxv. anni faciunt duas generationes sive Lxx annos. Idem ante hos sensit R. Aquiba, qui putat virtute, & bene agendo vitam prolongari posse, uti in Conciliatore nostro ostendimus: hinc ait זכה משלימין לו id est, si homo mereatur, complentur illi Lxx anni. Ac proinde xv. illos annos, quibus vita Hiskiæ prolongata est, משלו הוסיפו לו de suo adjunctos esse: nam eo tempore non habebat plures, quam xxix annos, & xiv. tantum annos regnaverat.

Vnde illa Rabbinorum sententia est תוספתו של הקדוש ברוך הוא מרובה על העיקר idest, Additamentum

tum Dei, excedit principale. Illi autem anni in universum computati non faciunt amplius, quam LIV. annos ita ut non venerit ad ordinariam L x x. annorum metam. Magna profecto pœna, attamẽ talis, unde liqueat, præmii loco dari longiorem vitam illis, qui id mereantur.

Ad hæc pertinet illud, quod á veterum quibusdam dicitur: nimirum Deus, inquiunt, singularem curam habet eorum, qui juste, recteque vivunt propter perfecta & integra eorum opera & facta, idcirco etiam ætas eorum proportionata est; hoc est, complet annos eorum de die in diem. Hinc super illud Mosis, *filius centum & viginti annorum ego hodie*, aiunt היום מלאו ימי ושנותי היום ילדתי והיום אמות: Hodie completi sunt mei dies, hodie natus sum, & hodie moriar.

Kidusin c. 1.
Deut. xxxi. 2.
Sota cap. 1.

riar. Nam Moſes natus erat ſeptimo menſis Adar die, & denatus eſt ejuſdem menſis ſeptimo die. Similiter etiam Henochi CCCLXV. anni, quibus in terris vixit, fuere proportionati CCCLXV. diebus annis ſolaris. Quo ſeculo ſuo, ut ita dicam, proportionato ſublatus in cœlum eſt. Atque ita ſolet Deus conſummare & perficere dies juſtorum. Idcirco David ait, *Cognoſcit Deus dies perfectorum,* *Pſal. xxxvii 18.* quaſi ſingulorum dierum rationem ſciret, & accuratam notitiam haberet. Iuxta hos omnes vitæ longioris præmium aliud nihil eſt, quam ſatietas multorum dierum, quæ ordinario LXX, aut LXXX annorum circulo includitur, quos nonnulli volunt eſſe proportionatos, & perfectos.

Alii aliter ſentiunt. Credunt

enim nonnulli, omnia legis Mosaicæ promissa esse supernaturalia: ex quo ordine sunt, Rabbi Nissim, Rabbi Ioseph Albo, & Isach Abravanel, aliique plures authores; ac proinde promissum illud longioris vitæ nolunt concludi L x x, aut L x x x annorum spatio, sed ulterius extendi posse existimant. Hinc illud de Hachamim legere est in Guemara Iebamot contra R. Aquibam, וכה מוסיפין לו לא זכה פוחתין לו hoc est, si homo meretur, augentur illæ duæ generationes; si non meretur, demitur ex illis. Sententiam hāc ferme omnes magni nominis autores sequuntur. Hinc illi, qui sententiam Astrologorum amplexi sunt, aiunt, quotiescunque in sacra Scriptura occurrit vox additamenti, illud sic accipi debere על הקץ המוגבל לפי מערכת הככבים hoc est, supra finem determina-

tam

tam ex conſtellatione ſiderum. De hoc vide Rab. Moſen ſedecayro, R. Vidal Serfati, Rabbi Levi ben Gerſon, & R. Mehir Arama ſuper Proverbiis.

Illi autem, qui ſtatuunt terminum vitæ pendere ex conſtitutione temperamenti, aiunt, Deũ vi quadam cæleſti augere humidum radicale. Hinc Aben Ezra *Super*
ימי חאדם אינם קצובים רק הם כפי *Prov.*
הטבע והטבע יתגבר כפי המעשים הנכונים *cap. x.*
hoc eſt, dies hominis non ſunt *27.*
præfiniti, ſed ſunt ſecundum naturam: illa vero natura augetur miraculoſe honeſtis operibus. Idẽ etiã ſentire video Mehiri in libro ſuo Vrim Vetumim: nam idcirco inquit, Hiskiæ à Deo datum eſſe ſignum longioris, & quaſi renovatæ vitæ, retractionem radiorum ſolarium in horologio: quia Sol eſt fons omnis caloris, qui ſuo motu afficiendo omnia elementa, per

illa & in illis gignit, ac producit calorem naturalem. Hinc retrocedente ſole, ac retraheate radios ſuos, ſecum etiam rapit calorem naturalem, ita ut ille qui multum de calore naturali per ætatem perdiderat, eum recipiat: atque ita quaſi rejuveneſcat. Iuxta hanc itaque opinionem, quæ meo judicio optima videtur, prolongatio dierum, quam Deus promittit, excedit omnem terminum, quem ſibi imaginantur, complexionis, influentiæ ſideralis, & annorum ſecularium. Atque ita vox אמלא quæ vulgo ſignificat, *complere*, poteſt accipi pro ſuper infundere, uti hoc ſenſu ſæpe accipitur in ſacris.

SECTIO VI.

VIdeamus nunc quomodo virtus ſit cauſa adjuvans ſive adaugens humidum radicale in hominibus. Quemadmodum animæ beatitudo conſiſtit in honeſto, ſive in cognitione virtutis, & præſtantiſſimarum rerum notitia: ita vita mortalis augetur & inſtauratur honeſtis actionibus, & veri cognitione, id eſt, meditatione legis divinæ. Vitam vero virtute augeri, conſtat ex teſtimonio Salomonis, dicentis, *Timor Domini adauget dies, anni autem malorum abbreviabuntur.* Ad quæ Talmudici doctores aiunt, iſtud experiētia planū fieri

יראת יי" תוסיף ימים זה מקדש ראשון שעמד ת"י
שנה ולא שמשו בו אלא שמנה עשרה כהנים
ושנות רשעים תקצורנה זה מקדש שני שעמד ת"כ
שנה ושמשו בו יותר משלש מאות כהנים :

ideſt, *timor Domini adauget dies,*

 hoc

hoc dicit respectu prioris templi, quod non amplius quam cccc x annos duravit, & in eo non fuerunt plures quam XVIII Sacerdotes. *Et anni malorum abbreviabuntur*. Hoc inquit respectu secundi templi, quod duravit ccccxx annos, & fuerunt in eo supra ccc sacerdotes. Trecentos aiunt, per synechdochen, quia numerus certus pro incerto ponitur, ad denotandum multos fuisse. Deinde id volunt dicere, sub primo templo ob vitæ probitatem sacerdotibus longius vivendi tempus á Deo concessum fuisse, quod ob peccata postremis sub altero templo denegatum fuit.

Præterea sapientes nostri asserunt hominē constare CCXLVIII membris seu ossibus CCCXLV nervis: quibus respondent sexcenta tredecim præcepta legis.

Quan

Quanquam ſcio Veſalium computare trecenta & ſeptem oſſa, ex quibus corpus noſtrum conſtare autumat : nihilominus tamen mecum conſentientes habeo doctiſſimum virum Cordoves, Rabbi Moſem Ægyptium, Ludovicum Cælum; adde determinationem Hippocratis, Galeni, Raſis, Avicenæ, & Averrois, quos in hac parte lubens ſequor. Quin & Georgius Venetus idem ſentit. Hinc Cabaliſtici dicunt, homines non ſolum cultu, & obſervatione legis divinæ corpus ſuum adeo illuſtrare, ut ex terreſtri fiat cæleſte, & quod eſt craſſum, & depreſſum, fiat habile, & ſpirituale: ſed etiã adeo firmare & augere calidum radicale, ut ex mortali quandoq; corpus reddatur immortale, uti Enocho, & Elię contigit. Neque ab eo abludit ratio. Etenim ſi

Andr. Veſal. lib. de corp. humani fabrica cap. lx Rabbi Moſes direct. cap. 52 Cælius lec. antiquar. 11 16 Avic. 111. fen. 11. trac. 1. cap 50 Georg. Ven. 8. c. 5.

juxta Galenum, bona diæta conservat valetudinem, ac proinde vitam afficit longam: nonne eandem rem ac potentiam, imo maiorem, optimæ animorum gubernationi tribuendam esse censebimus? quippe ex conjunctione animæ vitam habet corpus: hæc itaque si regatur, juxta regulas conservandæ veræ integritatis, quas non à Galeno accepimus: neq; Hippocrates docuit. Sed è cœlo, à Deo habemus, didicimus, ac tenemus, quis non asserat multo majori ratione homines fruituros extensione dierum & longiore vitæ in sua integritate conservatione? Idcirco etiã nostri doctores aiunt,

Ridusin c. 1. כל העושה מצוה אחת מטיבין לו ומאריכין לו ימיו id est, quicunq; præstiterit, præceptũ, benefaciẽt illi, & prõlogabunt dies ejus. Sic etiam lego de

Berachot cap. 1. Ribbi, miratũ eũ fuisse, quod homines

mines tam diu viverent in Babylonia, cum locus ſit in valle ſitus, cujuſmodi loca juxta Avicennã ſunt valetudini noxia, & inſalubria: ſed ubi audivit, ſæpius frequentaſſe Synagogas, acquievit, videns juſtam cauſam quamobrem eis vita prolongaretur. Ad hæc in Guemara de Tahanit capite I V. & Meguila cap. I V. legi, cum á quibuſdam quæſitum foret, quo pacto vitã ſuam extenderent, ſapientes reſpondiſſe, id fieri poſſe partim vitali aliqua cauſa, partim morali ſive ethica, nempe timore Dei. *Timor enim Dei*, ut Salomon teſtatur, *adauget dies.* Sic etiam legimus in Rabot de quodam mercatore, qui habitabat in inſula Cypro, qui cum proclamari juſſiſſet, ſe multa & diverſa aromata conſervandæ vitæ idonea habere venalia, & multi

veniſſent

venissent ad ea sibi comparanda, psalterium è sacco extulit & ostendit illis psalmum xxxiv. ubi David inquit? *Quis vir volens vitas, diligens dies ad videndum bonum? Custodi linguam tuam à malo, & labia tua à loquendo dolum.* Quasi diceret, virtutem optimum aroma esse prolongandæ vitæ idoneum.

Præterea meditatio verbi divini eā vim ac facultatem habet, ut vitā nostram longiorem efficere, & calidū radicale instaurare possit. Hoc validissime confirmatur, auctoritate Parænesios Salomonicæ Nam sapientissimus rex eo loco, quo agit de lege, ait.
Prov. iii. 16. *Longitudine dierum in dextra ipsius; in sinistra illius opulentia & gloria.* Item, *in me multiplica-*
Ibid. ix. 11 *buntur dies tui*, & alibi, *sanitas erit umbilico tuo, & irrigatio os-*
Ibid. iii. 8. *sibus tuis.* Ratio est, quia sacra

Scrip

Scriptura dicit hominem non tantum ex pane vivere, ſed ex omni verbo, quod exit ex ore Dei. Ex quo conſtat, homines non modo ali nutrimento corporeo, ſed etiam ſpirituali Atque hæc quidem meo judicio vera cauſa eſt, quamobrem á Salomone lex divina arbori vitæ comparetur, cum ait. *Lignum vitæ ipſam apprehendentibus, & ſuſtentantes eam, beatus.* Nam uti arbor vitæ, quæ in paradiſo erat, eam vim habebat, ut deguſtati ex ea fructus, quicquid humidi radicalis conſumptum eſſet, ſtatim inſtaurarent, & priſtinum vigorem redderēt, integritatemque corporis conſervarēt in debita quantitate, & qualitate: ita etiam eam vim atque efficaciam habet lex divina, quæ eſt inſtar arboris vitæ. Ac proinde, ſi Adam non peccaſſet,

Ibid. iii. 18.

etiamſi

etiamsi corpus ejus ex mixtura quatuor elementorum constaret, multo plurimos annos potuisset supervivere, & tandem cum corpore & anima simul in cœlum transferri: quemadmodum Enocho, & Eliæ contigisse scimus, & omnibus eventurum ex antedictis certum est, qui perfecte legem in omnibus observaverint. Hinc Rabbini arbitrantur eo tempore, quo lex per Mosem è cœlis dabatur, populum Israeliticum in eo integritatis statu à Deo collocatum fuisse, in quo erat Adam ante lapsum? sed cum ea felicitas non diu duraret ob fœdam illam idololatriam, quam vituli adoratione committebant, ideo David inquit, *Ego dixi Angeli vos, & filii excelsi omnes vos, vere sicut Adam moriemini.*

Psal. lxxxii 7.

Hæc autem, quæ diximus,

egregie

egregie illustrant ac confirmant singulare illud exemplum, quod in Guemara Iebamot, capite 12. legimus: etenim erat Hierosolymis quædam familia, ex qua qui nati erant, vix superabant decimum octavum ætatis annũ: quæ res cum ad auresR. Iohanan ben Zacay pervenisset, quæsitumque ex eo esset, quæ hujus rei causa ipsi esse videretur, jussit inquiri, an non essent ex posteris Elì, de quibus Deus cõminando dixerat, *& omnes multitudo domus tuæ morientur juvenes?* 1 *Sam.* *ii.* 33. compertumque est eos inde oriundos esse. Monuit igitur illos, si vitam longiorem optarent á Deo sibi tribui, ut legem omni cura & diligentia meditarentur. Neq; consilio effectus defuit: experientia enim docuit quam salubre, & utile illud sapientis viri monitum fuisset. Ac

proinde

proinde in grati animi signum transiit illa familia in titulum, ac nomen R. Iohanan ben Zacay. Præterea refertur á nostris Rabbinis, Davidem eo sabbati die, quo moriebatur, intentum fuisse meditationi legis divinæ: quod quum vidisset Angelus *S*amael, qui filum vitæ incidere solet, negotium suum peragere non potuit. Quare ea industria usus est, ut excitato quodam vento, validè commoveret arbores, quæ in area Davidis plantatæ erant, quo illum foras eliceret: qui cum vellet eo ire spectatum, descendentem de gradibus atrii, unicus gradus fefellit, ex quo cecidit: quod cum valde regem consternatum redderet, non cogitavit de lege divina, ac proinde cessante meditatione illâ vitã quoque perdidit. Rabbinorum hoc loco ea mens, & sententia

Sabat. cap.2.

eſt, Davidem virum ſanctum, & illuſtrem fuiſſe, & divinis ſuis hymnis tantam gratiam apud Deum reperiſſe, ut morti nulla in eum fuiſſet poteſtas, ſi non in ea ſcala, qua ſurſum cœlitus aſcendebat, unicus eum gradus deſtituiſſet, hoc eſt, actus ille adulterii cum Vriæ conjuge, ejuſdemque Vriæ homicidium: *tantum in facto Vriæ*, inquit ſacra Scriptura. Atque hæc quidem ſufficiant ad comprobandum diligenti obſervatione, & meditatione legis divinæ, vitam prolongari, & extendi poſſe; adeo ut ſi quis perfectiſſime, & perpetuo legem ſervaverit, eum glorioſe adinſtar Eliæ mortis potentiam evaſurum eſſe credibile ſit. Id enim miraculoſe duobus modis fieri poſſe arbitramur, primo conſervatione humidi radicalis in ſuo eſſe, & ſtatu.

Deinde

Deinde si conservetur potentia alimenti, quâ possit homo permanere in eodem vigore, quantitate, & qualitate. Quod ad primum attinet, id confirmatur exemplo Mosis, qui á Deo jussus ascēdere montem Horeb, in eo fuit absque cibo & potu per quadraginta dies; ac tum lex divina illi fuit vice pabuli, quæ humidum radicale in suo vigore & robore conservavit. Alterum confirmatur exemplo Eliæ. dixit enim ei Dominus; *Comede, iter habes enim lōgum, &c* & addit sacra Scriptura *Et ambulavit in virtute cibi XL dies.* Nempe conservata fuit vis ad vigor in cibo, ac si jam primum edisset, adeo ut intra istos quadraginta dies nullam lassitudinē, aut imminutionem virium sentiret. Neque silentio hic nobis prætereunda est stupenda Eliæ, & Sareptanæ

1 Reg. xix. 9.

feminæ

feminæ historia: legimus enim quomodo prophetes illi dixerit: *Hydria farinæ non deficiet, neque lecythus olei deficiet.* Et ita factum est: nam quantum indies demebatur, tantum quotidie miraculose apponebatur, & haud dissimiliter etiã humidum radicale, quod instar olei est assiduo pietatis studio, miraculose semper instaurari, & retineri potest in debita quantitate, & qualitate. Miraculose inquam, quia naturaliter fieri non potest, ut rite, recteque per alimentum humidum radicale instauretur. Et ad hanc ipsam quæstionem quam aliquãdo proposui doctissimo ac celeberrimo inter nostros medico Zacutho, ab eodẽ viro, pro innata ei humanitate, & benevolentia, singulari tractatu in hanc sententiam responsum est, videlicet id naturaliter fieri

1 *Reg.* xvii. 14.

fieri non posse, quod ipsum non tantum authoritate multorum authorum: sed etiam ratione comprobavit. Quare merito illud soli omnipotentiæ Dei adscribimus, & miraculose tantum fieri asserimus.

SECTIO VII.

HIc locus me admonere videtur, ut paucis agã de ritu Hebræorum, quem circa ægrotos observant. Si quis in morbum incidat, prima illi instaurãdæ valetudinis cura est: proinde statim medicus solet accersi. Illud enim licitum esse, jam diu novimus: quippe Deus etiam in suis actionibus naturalibus mediis uti solet. Rem exemplo declaremus. Deus etiamsi potens erat *S*amuelem liberare e manu

Sauli:

Sauli: nihilominus dicit, *Vitulum bovis capies in manu tua*, quo occultaret propositum ungendi Davidem in regem, qui etiam cum unctus esset, nullum studium neglexit adhibere, quo manum regis Sauli evadere posset. Sic Gideon usus est tubis, & buccinis, mediis naturalibus. Item Elisæus prophetes emissurus discipulum quendam suum ad ungendum Iehu in regem, præcipit illi, ut negotium clanculum, & in ædium penetralibus, peragat. Adhæc sacra Scriptura diserte inquit, *& medendo sanabit*, מכאן שנתנה רשות לרופא לרפאת id est, hinc liquet medico concedi potestatem curandi. Quare si medicina honesta est, & licita, licet etiam ægroto medicum ad sese accersere. Præclari etiam jam olim inter nostros medici fuerunt, qualis est Semuel Astrologiæ

1 Sem. xvi. 2.

giæ & medicinæ vir longe peritissimus, de quo in Talmude legere est, quod liberaverit R. Iehuda principem populi à dolore dentum, qui cum multis an-
cap.vi. nis vexaverat. Et in Baba Mesia, quod huic R. Iehudæ etiam curarit oculos. De R. Iohanã legitur in Sennedrim cap. 11. sanatum eum fuisse à quadam mulierem, cum aliquot pustulas in fa-
cap.iii cie haberet. De Aba Omana in Thaanit, multa narrantur, & in
Sectio Aazinu. Zoar de quodam medico, qui nunquam falsus compertus est in prognostico suo, quod dederat. Hoc etiam in vita Basilii, attribuitur cuidam Iosepho medico Hebræo, & capite v. de Secalim cuidam Ben Ahya, qui sanabat infirmitates eorum, qui occurebãt in templo. Similiter, legimus in Midras Semuel de Rabbi Ismael, & Rab. Aquiba, eunti

euntibus per agrum Hierosolymitanũ, comitante illos quodam forte fortuna rustico, occurrisse infirmum & valetudinariũ quendam; quem certo remedio ilico sanarunt. Quod cum rusticus ille videret, quæsivit ex illis, quis hominem imbecillũ reddidit? Deus inquiunt. Quæ hæc igitur vestra, inquit rusticus, audacia est, ut falcem in alienam messem immittatis? Deum hunc valetudinarium effecisse dicitis, & vos sapientiæ magistri vultis eum sanare? Sed illi ut se accommodarent captui rustici, quærunt ex eo, quam artem exerces bone vir? Respondit rusticus, an non potestis videre ex instrumento, quod in manibus gero, me esse agricolam? Quis igitur, quærunt illi, terram condidit? quis vineam fertilem efficit? Deus inquit. Cur igitur illi aiunt ma-

num immittis alieno operi, & comedis de fructibus, quos Deus fecit. Imo inquit, si aratrum non admoverem agro, neque agrum colerem, & à zizaniis purgarem, scio illum non laturum mihi fructus. Bene, inquiunt, mi bone vir, ecquid non
Psal. audivisti dici, *hominis sicut herba*
cxiii. *dies ejus?* etenim homo est simi-
lis arbori; fimus qui injicitur
15. agro ad eum pinguefaciendum est instar aromatum, & potionum medicinalium: agricola refert medicum. Atque ita illum erroris singulari quadam comitate coarguerunt. Liquet igitur hinc á veteribus medicinam ap-
Zoar probatã, eaque usos esse, quan-
sect. do Deus aliquem infirmitate aut
penul. imbecillitate quadam affligeret.
Deut. Eadem est Cabalistarum senten-
xxxii. tia, ut videre est in Zoar: nam
10. super verbis his, *inveniet eum in*

terra

terra deſerti, commẽtantes aiunt, ægrotus eſt inſtar hominis,qui in deſerto à Deo apprehenditur: quare advocandus eſt medicus, qui illum ab infirmitate aliquo medicamento cathartico, aut venæ inſectione liberet, ac deinde etiam præſcribat, quam valetudinis ergo ſervet וקודשא ב״ה
בעי דאע״ג דההוא ב״נ בבי אסירו דמלכא דישתדל
ב״נ עליה ומסיוע לי״לאפקא ליה מבי אסוח דמלכא
id eſt, nam Deus, etiamſi homo teneatur in carcere regis: cupit tamen ut medicus curam gerat illi opitulandi, quo liberetur ex iſto carcere. Huc etiam facit, quod dicunt R. Menahem bar Zerah, R. Moſes Gerundenſis, & R. Bahye, veniam medendi á magiſtratu adeptum, adſtringi ad curandos ægrotos, prætiumque ei curationis poſcere licere. Neque tamen ita confidendum eſt medicis, ut cura

Dei non habeatur. Nam solum Deum magno cum affectu invocandum esse, mecum sentit Aben Ezra. Sed in hoc dissentit à me, quod nolit medicum adhiberi in morbis internis & occultis: sed totum negotium Deo committendum esse putet. Hunc autem R. Vidal valide in Commentariis suis super Parenæses Salomonis confutavit, ubi etiam usum medicinæ vehementer commendat. Similiter etiam

Syracides cap. 1.

Siracides præclarum medicinæ encomium habet אוקיר לאסיא עד דלא תצטרך ליה id est; honora medicum, antequam indigeas ejus ope. Cui affine est illud poetæ שים רופאך בראש מזונך יושיבוך על כנך יעמידו שלותך: . Sed duo hic animadversione digna sunt, quorum unum ad medicum, alterum ad ægros pertinet. Quod ad prius attinet, medicus imprimis solicitus

tus esse debet magno affectu de valetudine ejus, cujus cura sibi cõmissa est; alioquin facile animam suam perderet. Idcirco enim (salvo bonorum honore, & reverentia) de medicis Talmudistæ dicunt טוב שברופאים לגהינם id est, præstantissimus medicus esse pabulum inferni.) Etenim multi jactant curationem, cujus vim non intelligunt; alii non diligentem satis rationem temporis habent, quo medicina præbenda est; alii fortunæ & eventui totum negotium committunt, nec animum satis ad sanitatem ægrotantis instaurandam advertunt. Sæpe etiam fit, ut contendentibus medicis de natura morbi, æger interea pereat. Et fortasse ea de causa medici vocantur רופאים quod derivatur à רפאים quod significat mortuos, quod in singulari est רפא quod si

retro legas, erit אפר id est, cinis, in quem cadavera defunctorum solent converti. Itaque cum medici dicuntur רפאים eo volunt denotare eos esse aliquando homicidas. Fortassis eadem etiam opinio Alexandri magni fuit, quoniam interfici jussit Glaucum medicum ob non sanatum ab eo Hephæstionem amicum suum. Hæc autem non de aliis, quam pravis & ineptis medicis intelligi velim: alioqui periti, & probi medici vocantur in sacra Scriptura ראשים id est, capita. Ita enim in Proverbiis legitur, *Multus cibus lucrum Medici*: nimius enim cibus solet morbi causa esse.

Prov. xiii. 23.

Ad ægrum vero quod attinet, is in solo medico, & remediis naturalibus omnem spem & fiduciam suam collocare non debet: sed Deo maxime debe[t]

con[...]

confidere: quippe ob iſtud Aſſa reprehenſus fuit, quod recuperandæ valetudinis omnem ſpem in medicis poſuiſſet. Sic enim habet textus. *Et etiam in ægritudine ſua non quæſivit Dominum, niſi in medicis.* Non reprehenditur rex à propheta, quod medicos advocaſſet: ſed quod ab his ſolis ſanitatis beneficium expectaſſet, nec de Deo cogitaſſet. Proinde inter encomia Hiskiæ optimi, ac pii regis etiam illud á Talmudicis magiſtris refertur שגנז ספר רפואות id eſt, quod librum medicinæ abſconderit. Illius autorem quidem dicunt fuiſſe regem Salomonem; alii exiſtimant librum Magicum & vetitarum artium plenum fuiſſe: ac proinde occultatum fuiſſe à pio rege Hiskia: quia ejus ſeculi homines illum librum ſemper conſulere ſolebant in ſuorum

2 Paral. xiii 12

Berachot cap. 1.

infirmitatibus : atque interim non cogitare de imploranda, Dei ope & auxilio. Deus enim verus medicus eſt, & bene illi facit, qui ſpem ſuam in eo collocat, quādo imbecillitate affligitur : nam uti in Exodo xv. 26. habetur, *Omnem infirmitatem, quam poſui in Aegypto, non ponam ſuper te, quia ego Dominus ſanans te.*

SECTIO VIII.

QVatuor res ſtatuuntur Talmudicis doctoribus in Guemara Ros aſana, quæ movēt Deum, ut ſententiam ſuam mutet, quam ſuper hominibus decrevit : nēpe צדקה צעקה שינוי השם ושינוי מעשה id eſt, Eleemoſyna, exclamatio, mutatio nominis, mutatio operum. Atque hi quidem

dem quatuor modi ſunt, quos Hebræi adhibere ſolent in gravi ac periculoſo morbo. Ac proinde ſolent ſecreto per eleemoſynas ſuccurrere iis, qui earum ope & auxilio maxime indigẽt, Nã uti pecunia vitam quodammodo pauperi reddant: ita etiã ſperant â Deo vitam ſibi conceſſum iri, quam optant, & deſiderant retinere. Hinc etiam in Synagogis Hebræorum ſolẽt eleemoſynæ colligi, idque vel in uſum pauperum iſtorum qui in civitate habitant, vel eorum qui terram ſanctam incolunt, vel eorum qui in carcere, & tenebris detinentur, aut in alios uſus, quos neceſſitas exigit. Hoc autem credunt niti verbis Salomonis *Et eleemoſyna eruet à morte.* Item, *in ſemita eleemoſyna, vita.* Item, *ſequens eleemoſynam & miſericordiam inveniet vitam.* Quod etiam

Prov. x. 2.
Ibid. xii. 28
Ibid. xxi. 21

etiam experientia comprobavit in filia Rab. Aquibæ, evadente mortis periculum quod illi anguis intendebat (qua de re etiã præviæ fuerant Astrologorum prædictiones) per liberalem eleemosynæ donationem. Hinc etiam illud Rabbinorum prooemium est חאומר אתן סלע זה בשביל שיחיו בני הרי זה צדיק גמור id est, qui dicit, do illam monetam, ut vivant filii mei, talis perfecte justus est. Hoc est, quamvis Deo accepta ferre debeamus omnia nostra tum vitam, tum reliqua omnia bona quæ possidemus: nihilominus tamẽ siquis eo animo ac spe eleemosynã liberaliter pauperi det, ut à Deo novam gratiam impetret; talis non debet haberi ineptus; sed perfecte justus dici meretur. Atque hæc de eleemosyna. Alterum remedium est exclamatio, sive ardens precatio. Hac enim ratione

Holin cap. 1.

tantum

tantum effecit apud Deum rex Hiskias, ut mortem jam ſibi deſtinatam deprecatus, & longioris vitæ beneficio á Deo donatus ſit. Hinc iſta ſapientium ſentẽtia profluit אפילו חרב חדה מונחת על צוארו
של אדם אל ימנע עצמו מן הרחמים" *Berachot cap. I.*
id eſt, quamvis homo videt jugulo ſuo impoſitum acutum mucronem: non tamen deſperet de miſericordia Dei. Hoc eſt, etiãſi mortis ſententia contra eum á Deo pronunciata ſit: nihilominus tamen tantam vim habet ſupplex oratio, ut ſententia iſta mutari poſſit. Idcirco cum David ait: *Et clamarunt ad Dominum in anguſtia ſua: de coarctationibus ſuis eruit eos*: *Pſal. cvii. 6.* intelligit pſalmiſta tempus captivitatis in Ægypto: nam animis ſublatis in cœlum, ſupplicibus precibus á Deo impetrarunt Iſraelitæ, ut ante deſtinatum tempus libera-

 rentur

rentur. Idque ordinarium remedium Hebræorum eſt, quod in gravibus & acutis morbis adhibere ſolent, ut precibus confugiant ad Deum. Et cum oratio multorum, tanquam unius corporis, ſoleat eſſe gratior: ideo conſtitutum eſt, ut in Synagoga preces fiant. De R. Hanina ben Doſſa viro pio, & juſto legimus, quomodo ex precibus, quas pro ægrorum ſalute effunderet, de vita vel morte ægrotantis judicare ſolitus ſit. Nam inquiebat.

Berachot cap. 5.

אם שגורה הפלתי בפי יודע אני שהוא מקובל
ואם לאו יודע אני שהוא מטורף"

id eſt, ſi oratio ſuaviter, & torrentis inſtar ſine ullo impedimento, ex ore meo fluat, judicium eſt, eam acceptam eſſe, & eum victurum: ſed ſi nonnihil impediatur, neque facile fluat, tunc dignoſco abſque dubio illum moriturum eſſe. Id re vera

ita accidit filio Raban Gamaliel, qui cum graviter decumberet, misit pater ejus duos discipulos, ad Rab. Hanina, rogaturos, ut Deo pro ejus incolumitate supplicaret. Precatus, accessit ad discipulos, & ait לכו שכבר חלצתו חמה hoc est, Ite: febris enim illum reliquit, & spes recuperandæ sanitatis illuxit. Ita filius Raban Iohanan ben Zacay salutem, & pristinam valetudinem precibus impetravit. Accedit Sareptana femina, cujus filius, testante verbo divino, per preces Eliæ vitæ restitutus fuit. Et Elisæus precibus Sunamitidi filium jam defunctum vivum reddidit. magna itaque vis precum & ardentis orationis est, in recuperanda, aut conservanda sanitate. *Ibid.*

Tertium remedium est, mutatio nominis. Hoc Hebræis familiare est, ut mutent nomen, quando in summo vitæ periculo

ſunt conſtituti. Idque in Synagoga ſolet fieri cum ſingulari quadam ceremonia; & novum plerumque nomen eſt, quod adhibetur חיים Haim, id eſt, *vitæ*. Ratio quæ eos movet, ut hoc agant, hæc eſt. Nam, inquiunt, quamvis mutatio nominis nihil immutet de ſubſtantia rei: nihilominus tamen aliquam variationem efficit, quatenus unuſquiſque ex nomine cognoſcitur. Ac proinde ea mutatione nominis volunt ſignificare animi affectum, & propoſitum mutandę, & emendandæ vitæ, quæ prius talis erat, ut indigni eſſent, quãobrem à Deo exaudirentur. Accedit illud, quod dicant mutato nomine mutari quandoque fortunam: uti in exemplo Abrahæ patet: nam cum ante diceretur Abram non tanta rerum copia abundabat, quam exinde auctus

fuit

fuit poſt quam Abraham vocatus fuit. Quid quod exiſtens אברם *Abram*, erat אב ארם id eſt, ſolus pater Meſopotamiæ: Verũ ubi אברהם *Abraham* factus eſt, fuit אב המון, id eſt, pater nationum mundi. *S*ic etiam uxor vocata שרי *Sarai*, non fuit niſi privata & particularis domina; ſed ubi nomen adepta eſt שרה *Sara*, fuit domina univerſalis. Ita I*acob* adeptus victoriam de Edumæorum principe dictus eſt ישראל *Iſrael*, in ſignum futuræ victoriæ: durante enim captivitate populus, erit יעקב Iahacob, ſive calcabitur á gentibus. Ita Moſes exploratores terra Canaã emiſſurus, nomen הושע *Oſeæ*, mutavit in יהושע Iehoſuam: quare prophetico ſpiritu prævidens optimum in *Ioſua* ſucceſſum, dixit illi יה יושיעך מעצת מרגלים id eſt, Deus te ſervabit de conſilio explora

Num xiii. 17 Rabot ibid.

ploratorum. Similiter alia propria nomina, & vocabula verbi divini, credimus singularem emphasim habere. Ita Esavus fratri Iacobo inquit, merito vocaris Iacob, id est deceptor; bis enim me decepisti. Ita Abigail vere maritum suum נבל Nabal esse dicebat, id est stultum, & ineptum. Ita Nahomi socrus Ruth ajebat, quod me vocas נעמי Nahomi, id est, pulchram & formosam: quin me appella, מרה Mara, id est, amaram: nam Deus graviter me afflixit. Eodem modo etiam ægroti aliquã spem recuperandæ sanitatis concipiunt ex etymo *vitæ*, si modo adhibeantur præterea debita remedia, & instaurandæ valetudini, & pellendo morbo apta & idonea.

Gen. xxvii. 36.

1 Sem. xxv. 26.

Ruth cap. 1. 20.

Denique quartum remedium est, mutatio operum. Ordine hoc

hoc postremum est, sed cura primum sit oportet: certum enim est multum apud Deum pœnitētiam anteactæ vitæ posse. Ninivem post XL dies certum exitium manebat: sed ob pœnitentiam eorum, testante Scriptura, Deus malum ab iis evertit. Similiter rex Achab pœnitentia vitæ ductus impetravit à Deo, ut malum non videret in diebus suis. Hinc Talmudici doctores aiunt, גדולה תשובה שמארכת ימיו ושנותיו של אדם שנאמר היה יחיה id est, multum potest pœnitentia, nam prolongat dies, & annos hominis: & de illis scriptum est, *vivendo vives.* Et alibi de vi pœnitentiæ loquentes, dicunt eam tantum posse, ut ob eam Deus mutet & revocet sententiam contra hominem latam. Atque hæc quidē sunt quatuor supernaturalia remedia instaurandæ valetudini idonea;

Iona viii. *1 Reg. xxi. 29.* *Ioma cap. 8.* *Ros Asana cap. 1. Suca cap. 5.*

idonea; quibus nonnulli adjungere solent jejunium, quod vel à domesticis fit, vel á pauperibus, quos eleemosynis suis sibi devinxerunt. Quippe cum Haman omnia dira, & acerba Israeli comminatus esset, Hester & Mardochai & cum illis universus Israel, intentissime jejunarũt. Sic etiam ab Esra magno in pretio habitum est jejunium, & sæpe adhibitum. Et Danieli dictum est, *Ex primo die, quo dedisti cor tuum ad intelligendum & jejunandum, exaudita sunt verba tua.* Sed notandum est, per annihilationem, seu potius retractationem sententiæ, seu decreti, á Rab. Iosepho albo, non intelligi divinum decretum, sed constellationem cœlestem. Ac proinde inquit, quando homini aliquod exitium, aut grande infortunium imminet ex vi sideralis

Dan. x. 12.

Hicar. lib. iv. cap. 4.

ralis conſtellationis ; illud damnum, bonis operibus, ſeu ſerio virtutis ſtudio averti poteſt. Ex.gr. Ex vi conſtellationis certum eſt navim perituram, quam quis conſcendere cogitat : pone Deum ei qui navem conſcendere in animo habet, aliquam remoram injicere, ſive per aliquã ei immiſſam imbecillitatem, ſive per aliud aliquod impedimentũ, ut navim non conſcendat : interea navis perit, & ille ſoſpes manet. Eadem eſt Aben Eſdræ ſententia : nam ſuper Exodi cap. XXXIV, inquit, Eſto, alicui civitati certum exitium ex vi conſtellationis imminere, & ejus loci incolas ſeria factorum pœnitentia Deo litare. Quid fiet? num Deus eos communi urbis exitio involvi ſinet? Nequaquam: ſed eam mentem ipſis dabit, ut aſcendant in montes,
&

& editiora loca, quo periculum evadant. Post hæc inundentur agri rapto fluminis aggere, & urbs ista pereat. Ita enim & eventus respondebit constellationi cælesti, & illi immunes erunt ab exitio. Nam uti David
Psal. xxxiii 18. inquit, *Ecce oculus Domini ad timentes eum, sperantes in misericordia ejus, ad eruendum á morte animam eorum.*

Quocunque igitur modo Rabbinorum sententia explicetur; verum tamen est, multo majorem vim & efficaciam esse virtutis, quam siderum, & astrorum, adeo etiam ut pronuntiata jam mortis sententia, uti Hiskiæ contigit, non sit inefficax illud decretum, nisi á Deo prius immutetur. Lubet itaque hac rem, ut hic desinam, concludere usitata illa dicendi formula, qua solet uti studiosa inventus Pumbeditæ

ditæ, e ſchola exiens מחיה מתים יתן לנו חיים ארוכים טובים ומתוקנים hoc eſt, *Ioma cap. 7.* Qui author eſt vitæ, largiatur nobis vitam longam, felicem, & honeſtam.

MENAS-

MENASSEH BEN ISRAEL,

DE

PRAESCIENTIA, ET

libero hominis arbitrio,

LIBER III.

SECTIO I.

ADversſus ea, quæ ſuperioribus libris diximus, objici quædam ſolent ab iis, qui in contraria ſunt ſententia: quæ res me aliquo modo cogit, ut quædam dicam de præſcientia Dei, & argumentis quæ adverſus prædicta movent. Sic enim argumen

argumẽtantur: si Deus exquisito & excellentissimo sciendi modo ab æterno omnia præscivit, & rerum ordinem disposuit, quomodo homines libero arbitrio vitam abbreviare, aut prolongare possunt? Ex. gr. Si Deus ab æterno scivit infallibiliter Abrahamum victurum esse c l x x v. annos, videlicet ex vi sana & saluberrimi temperamenti, quod ei dederat: sequitur in potestate Abrahami non fuisse quicquam de hac ordinatione divina mutare. Quod si ita est, queritur quomodo possint simul consistere res adeo contrariæ, ut sunt præscientia Dei, & libertas hominis? Lubens fateor me invitum in hanc controversiam descendere, utpote longe, ut mihi quidem videtur, difficillimam. Sed quãvis Euclides, interrogatus multa de Deo, responderit,

derit, hoc certo se scire de Deo, illum abominari curiosos, & nimium sciendi cupidos: nihilominus tamen adhibita sacrarum literarum luce, rem illam à nobis illustrari, atque expediri aliquo modo posse arbitror.

Fuerunt, qui cum præscientiam Dei, & liberum hominis arbitrium cōciliare non possent, alterutrũ negarunt: uti Cicero, qui ut liberos in actionibus suis homines esse defenderet negavit præscientiam Dei. Quod non male observatum est ab Augustino. Vt enim, inquit, Cicero faceret homines liberos, fecit sacrilegos. Alii rursus negarunt libertatem hominis, ut tuerentur præscientiam Dei. Quare constitui prius ista duo firmare, & comprobare, antequam conciliem. Ac primo, Deũ ab æterno scivisse omnia futura

contin

contingentia. Deinde hoc posito, nihilominus tamen libertatem homini relictam esse, qua vitam suam longiorem aut breviorem facere possit.

SECTIO II.

PRimum facile intelligi potest & indubium est, inquit Rab. Moses Ægyptius, quod in Deo omnes perfectiones inveniantur & omnes contra imperfectiones ab ipso removendæ sunt. Parum etiam aberit, quin intelligibile primum sit, ignorantiam in quacunque re esse imperfectionem, & Deum nullam rem ignorare. Ratio satis manifesta est ex sacra Scriptura: nam Deus de Adamo, Noacho, Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Mose, Aarone, & pluribus aliis particularem

More Nebuchim part. III. c. xix.

cularem notitiam habuit, atte-
stante illud auctoritate sacræ
Gen. Scripturæ; ut in Genes. *Quia*
xviii. *novi propterea quod præcipiet*
19. *filiis suis & domui suæ post se, &*
Ibid. *custodient viam Domini ad facien-*
Exod. *dum justitiam & judicium*, &c.
iii.7. De Abimeleche: *Etiam ego novi*
Ibid. *quia in perfectione cordis tui fe-*
xx. 7. *cesti hoc:* & alibi, *novi dolores ejus.*
In Decalogo. *Non mundificabit*
Dominus eum qui tulerit nomen
Deut. *ejus in vanum.* Et in Deuter. *Ne*
xxix. *forte sit in vobis vir vel mulier, vel*
18. *familia, vel virgo, quae cor suum*
avertens hodie à Domino. Et ob
particularem illam notitiam
omnium rerum, quas Deus ha-
bet, Moses alloquens Deum ait,
Num. *Deus, Deus spirituum omnis crea-*
xvi. *turae.*

22. & Si prophetas lubet inspicere,
xxvii. eadem illos testari comperie-
16. mus. Apud Iosuam, *Deus*
Deorum

 Iosua
Deorum Dominus, ipse cognoscens. *xxii.*
1. Sem. *Deus scientiarum Do-* *22.*
minus. Item, *Et tu nosti servum* *1 Sem.*
tuum Domine Deus. Libb. Reg. *ii. 3.*
Tu nosti solus cor omnium filiorum *2Sem*
hominis. Esaias, *Novi, praevari-* *vii. 20*
cando praevaricaberis. Ierem. *1 Reg.*
Priusquam formarem te in utero, *viii 39*
te novi, & antequam exires de *Esaias*
vulva sanctificavi te. Item, *Et tu* *xlviii.*
Domine nosti me. Item, *Ego Do-* 8.
minus scrutans cor, probans renes *Ier. i. 5*
ad dandum unicuique juxta viam *Ibid.*
suam, & juxta fructum studiorum *xii. 3.*
suorum & alibi, *Magnus consilio* *Ibid.*
& multis opere: quia oculi tui *xvii.*
aperti super omnes vias filiorum 10.
hominis ad dandum unicuique se- *Ibid.*
cundum vias suas & secundum *xxxii.*
fructum studiorum suorum. Ie- 19.
hazkel, *Domine Deus tu nosti.* *Iehask.*
Oseas, *Ego novi Ephraim.* Ha- *xxxvii*
mos, *Cognovi multas prae-* 3.
varicationes vestras. David, *Ham.*
 v. 12.

Psal. *Sciens Dominus dies perfectorum.*
xxxvii Item, *ipse sciens abscondita cordis.*
18. Item, *Tu nosti stultitiam meam.*
ibid. Item, *Dominus sciens cogitatio-*
xliv. *nes hominis.* Iob, *Ipse novit ho-*
22. *mines mendacii.* Daniel, *Novit*
ibid. *qui in tenebrositate, & lux cum*
lxix 6. *eo manet*, Nehamias, *Cognovisti*
ibid. *quod super te egerunt contra eos.*
cxiv. 1 Chro. *Et tu servum tuum nosti.*
11. & alibi, *omnia corda requirens*
Iob xi. *Dominus, & omne figmentura co-*
11. *gitationum intelligens.*

Dan. Sed illustrissimum divinæ
ii.22. præscientiæ testimonium exstat
Neha. Psalm. cxxxix. Nam inquit
ix. 10 David, *Domine investigasti me,*
1 Chr. *& cognovisti*, id est cognovisti
xvii. ab æterno, & impræsentiarum
17. omnes actiones meas *Tu cogno-*
ibid. *visti sedere meum, & resurgere*
xxviii *meum*, id est, singularia, & parti-
2. cularia opera; qualia sunt sedere,
& surgere. *Cognovisti cogitatio-*

nem

nem meam á longe, id eſt tam exacte ab æterno omnia mea opera noſti, ut etiam noveris intimas animi mei cogitationes. Quare tandem concludit, *Quo ibo á ſpiritu tuo? & quo á faciebus tuis fugiam?* id eſt, cum tua ſcientia & providentia, mi Deus, exſuperet omnia, nullus locus eſt, quo te effugiam: tu enim es ubique: unde ſequitur Deum unicujuſque hominis ſingularem curam gerere. Huc pertinet illud, quod antiqui referunt de tribus viris, quos Deus falſitatis redarguit, quia eum particularia hominum ignorare putabant. Primus fuit Kain, qui quærenti Deo, *ubi frater tuus eſt Abel?* quaſi fratricidium ei ignotum eſſet, reſpondit, *Egone ſum cuſtos fratris mei?* Alter fuit Bileam, qui quærenti Deo, *quinam ſunt iſti?* reſpondit, *Balac rex Moab* *illos*

Midbar Raba ſec. xx

Gen. iv 8.

Num. xxii. 19.

cularem notitiam habuit, atte-
stante illud auctoritate sacræ
Gen. Scripturæ; ut in Genes. *Quia*
xviii. *novi propterea quod præcipiet*
19. *filiis suis & domui suæ post se, &*
Ibid. *custodient viam Domini ad facien-*
Exod. *dum justitiam & judicium*, &c.
iii. 7. De Abimeleche: *Etiam ego novi*
Ibid. *quia in perfectione cordis tui fe-*
xx. 7. *cesti hoc*: & alibi, *novi dolores ejus*.
In Decalogo. *Non mundificabit*
Dominus eum qui tulerit nomen
Deut. *ejus in vanum*. Et in Deuter. *Ne*
xxix. *forte sit in vobis vir vel mulier, vel*
18. *familia, vel virgo, quae cor suum*
avertens hodie à Domino. Et ob
particularem illam notitiam
omnium rerum, quas Deus ha-
bet Moses alloquens Deum ait,
Num. *Deus, Deus spirituum omnis crea-*
xvi. *turae.*
22. & Si prophetas lubet inspicere,
xxvii. eadem illos testari comperie-
16. mus. Apud Iosuam, *Deus*
Deorum

 Ioſua
Deorum Dominus, ipſe cognoſcens. xxii.
1. Sem. Deus ſcientiarum Do- 22.
minus. Item, Et tu noſti ſervum 1 Sem.
tuum Domine Deus. Libb. Reg. ii. 3.
Tu noſti ſolus cor omnium filiorum 2Sem
hominis. Eſaias, Novi, praevari- vii.20
cando praevaricaberis. Ierem. 1 Reg.
Priusquam formarem te in utero, viii 39
te novi, & antequam exires de Eſaias
vulva ſanctificavi te. Item, Et tu xlviii.
Domine noſti me. Item, Ego Do- 8.
minus ſcrutans cor, probans renes Ier.i.5
ad dandum unicuique juxta viam Ibid.
ſuam, & juxta fructum ſtudiorum xii. 3.
ſuorum & alibi, Magnus conſilio Ibid.
& multis opere: quia oculi tui xvii.
aperti ſuper omnes vias filiorum 10.
hominis ad dandum unicuique ſe- Ibid.
cundum vias ſuas & ſecundum xxxii.
fructum ſtudiorum ſuorum. Ie- 19.
hazkel, Domine Deus tu noſti. Iehask.
Oſeas, Ego novi Ephraim. Ha- xxxvii
mos, Cognovi multas prae- 3.
varicationes veſtras. David, Ham.

 Sciens v.12.

Psal. *Sciens Dominus dies perfectorum.*
xxxvii Item, *ipse sciens abscondita cordis.*
18. Item, *Tu nosti stultitiam meam.*
ibid. Item, *Dominus sciens cogitatio-*
xliv. *nes hominis.* Iob, *Ipse novit ho-*
22. *mines mendacii.* Daniel, *Novit*
ibid. *qui in tenebrositate, & lux cum*
lxix 6. *eo manet*, Nehamias, *Cognovisti*
ibid. *quod super te egerunt contra eos.*
cxiv. 1 Chro. *Et tu servum tuum nosti.*
11. & alibi, *omnia corda requirens*
Iob xi. *Dominus, & omne figmentura co-*
11. *gitationum intelligens.*
Dan. Sed illustrissimum divinæ
ii.22. præscientiæ testimonium exstat
Neha. Psalm. cxxxix. Nam inquit
ix.10 David, *Domine investigasti me,*
1 Chr. *& cognovisti*, id est cognovisti
xvii. ab æterno, & impræsentiarum
17. omnes actiones meas *Tu cogno-*
ibid. *visti sedere meum, & resurgere*
xxviii *meum*, id est, singularia, & parti-
2. cularia opera; qualia sunt sedere,
& surgere. *Cognovisti cogitatio-*

nem

nem meam á longe, id eſt tam exactè ab æterno omnia mea opera noſti, ut etiam noveris intimas animi mei cogitationes. Quare tandem concludit, *Quo ibo á ſpiritu tuo? & quo á faciebus tuis fugiam?* id eſt, cum tua ſcientia & providentia, mi Deus, exſuperet omnia, nullus locus eſt, quo te effugiam: tu enim es ubique: unde ſequitur Deum unicujuſque hominis ſingularem curam gerere. Huc pertinet il- *Mid-*
lud, quod antiqui referunt de *bar*
tribus viris, quos Deus falſitatis *Raba*
redarguit, quia eum particularia *ſec. xx*
hominum ignorare putabant. Primus fuit Kain, qui quærenti Deo, *ubi frater tuus eſt Abel?* quaſi fratricidium ei ignotum eſſet, reſpondit, *Egone ſum cuſtos* *Gen. iv*
fratris mei? Alter fuit Bileam, *8.*
qui quærenti Deo, *quinam ſunt* *Num.*
iſti? reſpondit, *Balac rex Moab* *xxii.*

 illos *10.*

illos ad me misit. Tertius est Hiskias, qui quærenti Esaiæ de legatis, quos ad eum miserat Merodach Baladan, *quinam sunt isti*
2 *Reg.* *viri? & e qua terra venerunt?*
xx. 14 superbe respondit, *de terra remota ad me venerunt.* Quamvis levius vitium videri possit, quia adversus prophetam rex delinquebat: tamen ei considerandum fuerat esse prophetam Dei, cui omnia ante revelata erant.

SECTIO III.

SEquitur, ut agamus de divina futurorum præscientia. Hujus rei firmum, & infallibile argumentum sunt prædictiones Dei de rebus futuris contingentibus, quæ ante prædictæ, & postea completæ sunt. Sed videamus quædam exempla.

Ita

I. Ita Deus dixit Mosi, *Et* *Exod.*
ego novi quod non permittet vos *iii. 19.*
rex Aegypti abire: & ita factum
est.

II. Prædicit Deus, *cum ge-* *Deut.*
nueris filios & filios filiorum, & *iv. 25.*
inveteraveritis in terra: atqui vocabulum *inveteraveritis*, quod Hebraicæ est ונושנתם efficit numerum Dcccxlvi. tot autem annis possederunt Israelitæ terram sanctam, & post eos ex illa expulsi sunt propter peccata, quæ á libero eorum dependebant arbitrio.

III. Continentur Deuteron. cap. xxviii. aliquæ prophetiæ, quæ completæ fuerunt tempore primi atque secundi templi. De his prolixe in tractatu nostro de divinitate legis Mosaicę egimus, unde pauca excerpemus. Illud autem caput Deuter. quo maledictiones continentur, contra

rebelles & inmorigeros Iſraelitas, dividetur in duas partes, nempe à verſu 15, uſque ad 49. *Aufert Dominus ſuper te gentem*, &c. ubi agitur de ruina prioris templi, deinde ab eo verſu, uſq; ad finem, ubi de ſecundi templi excidio agitur. Rationes manifeſtæ ſunt: nam in hunc modum incipiunt, *Maledictus tu in civitate*, &c. ratio mox additur, propter malitiã actionum veſtrarum, quibus dereliquiſtis me, id eſt propter idololatriam, quæ ſub primo tẽplo obtinuit. Nam phraſis illa עזב relinquere, ſemper in ſacris ſignificat relinquere Deum, & idolis adhærere. Sequitur porro, Adjunget Dominus in te peſtilentiam, &c. per viam unam egredieris ad eum, & per ſeptem vias fugies á faciebus ejus. Quod nõ evenit ſub ſecundo templo: nam tum ſatis validi,

validi & robusti fuerũt : sed sub primo. Hinc Esaias deplorãs magnã populi fragilitatẽ, ait, *á longe fugerunt*, & ibid. *ascẽdisti omnis in tecta.* Quod ad cæteras maledictiones attinet, illarum eventutum senserunt satis graviter Hebræi in primis, quæ illis evenerunt, calamitatibus. uti in captivitate Ruben, Gad, mediæ tribus Menasses, terræ Zabulon, Napthali, Somron, & in aliis tribus captivitatibus filiorũ Iudæ. Tum enim completum est illud; *Vxor desponsabitur, & vir alius coibit cum ea.* Sed cum dicatur, *Ambulare faciet Dominus te, et regem tuum, quem statues super te ad gentem, quam non nosti tu, & patres tui, & servies ibi diis alienis, ligno & lapidi*, non dubium est, quin illud intelligendum sit, dc Zedekia, & Ioachim, qui fuerunt captivi in Babylonia, terra ab illis ante incognita; *Esai. xxii 3.*

 qua

& in quia servierunt idolis. Et qua post eversam, & occupatam terram sanctam, aliquæ etiamnum in ea populi reliquiæ manserunt, ideo de eorum non multo meliore futura conditione dicitur, *Semen multum adduces ad agrum, & parum colliges, &c. item, peregrinus qui in interiori tuo ascendet super te superne superne:* quod accipiendum est de Samaritanis, quos rex Assyriorum expulit ex Somron, & confinibus locis. Quia autem Moses hic desinit agere de ruina primi templi, ideo subnectit causam tanti mali, atque ait, *pro eo quod non serviuisti Domino Deo tuo, &c.* Hactenus de priore parte capitis XXVIII.

Secunda pars hunc in modum incipit, *Aufert Dominus super te gentem á longinquo ab extremo terræ, quemadmodum volaret aquila, gentem cujus non intelliges linguam,*

guam, gentem fortem faciebus, &c. Notandum eſt ter hic uſurpari vocabulum *gentis*: quippe tribus vicibus Hieroſolyma Romanorum vim ac potentiam ſenſit. Primum, quando Hircanum, & Ariſtobulum, filioſque Alexandri, in auxilium vocarunt Romani adverſus Pompeium. Deinde, quando Herodi Soſius opem tulit adverſus Antigonum, filium Ariſtobuli, Tertio, quando à Veſpaſiano, & filio ejus Tito, urbs obſidione fuit clauſa, & tandem una cum templo everſa, & funditus delecta eſt. Quare cum Moſes ait, gentem fore de longinqua terra, intellige Romam, & de extremo terræ, accipe de multis gentibus, quas auxilio ibi accerſivit Veſpaſianus ex Anglia, Gallia, Hiſpania, & ex aliis mundi tractibus. In his bellis omnia, quæ prædicta

erant Hebræis mala, & calamitates evenerunt. I. Fames, *Et comedet fructum animalis tui, &c.* supple cum fame. II Extrema angustia, quam passi sunt, *Et erit angustia tibi in omnibus portis tuis:* quæ valde magna, & acerba futura erat, juxta illud, *Et comedes fructum ventris tui*: quod sub secundo templo accidit referente illud Iosepho. III. Infirmitates, *Et mirificabit Dominus percussiones tuas*: quod impletum absque dubio fuit sub secundo templo: nam ex nimia fame orta est pestis. IV. Diminutio ingens populi, juxta illud, *Et remanebitis in viris parum, pro eo quod fuistis sicut stellae cælorum.* Quod etiam impletum est, cum tanta hominum multitudo istis bellis, teste Iosepho, perierit. V. Terræ vastatio, juxta illud, *Et destruimini de super humo*

quam tu ingredieris illud ad possidendam eam. Quibus adjungi debet sextum malum, oblivio religionis paternæ. *Et coles ibi deos alienos, quos non nosti tu nec patres tui, lignum, & lapidem. Et in gentibus ipsis non requiesces, neque erit requies volæ pedis tui, &c.* Quod singulari modo in hac præsenti captivitate completum esse videmus, ob omnia ista mala, quibus affecti sunt Hebræi in Francia, Anglia, & Hispania. Ita ut vere ea, quæ à Mose prædicta sunt, completa esse videamus, *in matutino dices, quis dabit vesperam? & in vespera dices, quis dabit mane?* Denique ait, *Et redire faciet te Dominus in Aegyptum in navibus.* Etsi enim Vespasianus in varias, & multas regiones Hebræos ablegavit: nihilominus tamen sola Ægyptus, ignominiæ ergo nominatur, quasi diceret, In eam ter-

ram, unde triumphantium instar egressi estis, intrabitis captivi. Atque hic finiuntur á Mose maledictiones populi; sed mox ad illas regreditur cap. xxix. Denique cap. x x x consolatur eos spe benedictionum, & reductionis ex quatuor mundi angelis. In eo autem Mosem imitantur omnes prophetæ, ut post aliquot malorum narrationem, quæ illis eventura sunt, finiant verba singulari quodam subjuncto populi solatio. Vnde Talmudici scriptores referunt de Rabbi Aquiba eum risisse, cũ omnes sapientes, qui ipsi aderant, visa eversione, & ruina templi plorarent. Rogatus causam, cur ille plorantibus cæteris, rideret, inquit, Post nubila Phœbus, & post finem malorum, speranda sunt bona: quippe Deus non minus verax est in uno, quam in altero consumman

summando. Atque hæc hactenus.

IV. Mosi dicitur à Deo, *Ecce tu accumbes, cum patribus tuis, & surget populus iste, & fornicabitur post deos alienae terrae.* Atque hoc etiam ita accidit. *Deut. xxxi. 16.*

V. Adeo prædicitur legem Mosis á populo Israelitico in æternum observatum iri: juxta illud, *Quia non oblivioni tradetur ab ore seminis ejus.* Neque unquam plane, & omnino, eam neglexit, aut non observavit. *ibid. xxxi. 21.*

SECTIO IV.

Apud prophetas vero multa legimus, quæ multis annis ante prædicta postea completa sunt.

I. Apud Iosuam cap. vi. 26. *Et adjuravit Iosuah in tempore illo*

illo dicendo, Maledictus vir ad facies Domini, qui surrexerit, & ædificaverit civitatem istã Ieriho: in primogenito suo fundabit eam, & in parvo statuet portas ejus. Quod etiam multis annis post evenit tempore Achabi. Vnde 1 Reg. cap. xvi. 39 legere est, *In diebus suis ædificavit Chiel bet a-Eli Ieriho: in Abiram primogenito suo fundavit eam, & Segur minimo suo statuit portas ejus.*

II. Ædificatio templi prædicta est in Aegypto sexcentis annis antequam inchoaretur. Hac prophetia completa est temporibus Oniæ Pontificis maximi, qui impetrata venia á Ptolomæo, & Cleopatra dominis Aegypti, in certo loco, cui Bubastus nomen est, templum exstruxit. Verba hujus Oniæ hunc in modum refert Flavius Iosephus. *Rogo, ut mihi permittatis templum*

Antiq. lib. xiii. cap. 6.

tẽplum quod illic est nulli sacratum numini, jãq; collapsum repurgare, & alio loco ejus Deo maximo extruere ad Hierosolymitani illius similitudinem, pari etiam modo & mensura, pro salute tua, & reginae, atque liberorum vestrorum: ut Iudaei qui Aegyptum incolunt illuc convenientes, quo magis alunt mutuam concordiam, eo accommodatiores fiant tuis usibus. Nam & Isaias vates praedixit, quod erit Domino Deo sacrarium in Aegypto, &c. Astipulantur hac in parte Flavio Iosepho, Rabbini nostri; qui in tractatu suo Menachot hanc prophetiam Esaiæ accommodant etiam huic templo. quamquam in tractatu illo, qui inscribitur Seder Olam, aliter sentiunt: nam istic legere est, quomodo post acceptam divinitus cladem in castris Assyriorum, reliquam multitudinem,

vel

vel saltem magnam eorum partem, qui supererant, rex Hiskias captivam duxerit in urbem Hierosolymæ. Has autem copias Sennacherib collegerat ex Aethiopia & Aegypto: hinc factum est, ut illi homines, magnitudine miraculi adducti, fidem Hebræorum reciperent, & reversi in patriam in honorem ac gloriam Dei altare erexerint. Cum autem mutua inter Hebræos & illos amicitia, ac commercia vigerent, paulatim linguæ nostræ peritiam acquisiverunt; juxta illud, *in die illa quinque erunt civitates in terra Aegypti loquentes*
Esai. *labio Canaan.* Atque ita etiam
*xix.*18 prophetiam completam esse, liquido apparet.

III. Multo ante instaurationem Hierosolymorum, & templi secunndi exstructionem ex mandato Cyri Regis Persarum susce-

susceptam, prædictum est de hoc Cyro, in hunc modum: *dicens ad Cores, pastor meus, & omnem voluntatem meam complebit.* *Esa. xlv. 1.* *Et dicendo ipsi Ierusalem ædificaberis, & templo fundaberis.* Templo ait *fundaberis*, non autem ædificaberis: causa hæc est: Quia ob accusationes, & criminationes Rahum, Simsay, & Saphrah, tempore Cyri, mãserat opus imperfectum, jactis tantum templi fundamentis per XXII annos, usque ad secundum regis Darii annum. Cum autem varia auri, argentique munera Cyrus contulisset in templi ædificationem, & captivos libertate donasset: idcirco capite sequenti dicitur. *Ego suscitavi eum in justitia, et omnes vias ejus dirigam: ipse aedificabit civitatem meam, et captivitatem meam dimittet: non in precio, nec in munere,* *ibid. xlv. 13*

re, dixit dominus exercituum, &c.

IV. Secundum templum ab ipsis Hebræis destructum iri, similiter fuit á propheta prædictum: post longas enim querimonias, quas populus tempore captivitatis effuderat, quos ibidem enarrat propheta, statim hæc verba annectit, *Dixit Sion,*
ibid. xlix. 14. *dereliquit me Dominus, et Dominus oblitus mei est, festinarunt structores tui, demolientes te, et destruentes te, á te exibunt.* illud autem accidit, & cōpletum est, cum Simon, & Iohanan importunis suis seditionibus, & plures aliis Hebręi internis motibus accelerarunt templi vastationem. Vnde Flavius Iosephus de bello
lib. vii. c. 4 Iudaico ait, *Quis ignorat scripta veterum prophetarum, et responsum impendens miserrimæ civitati? jā tunc enim ejus excidium*

praedi

praedixere, cum quis homicidium gentile cœpisset. Vestrorum autem cadaverum, non civitas tantum, sed etiam templum omne repletum est.

V. Esaias Propheta ait, *Omne instrumentum fictum contra te non prosperabitur, et omnem linguam resistentem tibi judicio condēnabis: haec hereditas servorum domini, et justitiam eorum á mecum dixit Dominus.* Neque profecto hæc Prophetia incompleta mansit: etenim omnes ferme gentes legem Hebræorum oppugnarunt, quædam ut argumentis & rationibus eam eluderent, aliæ ut armis, ac vi opprimerent. Idcirco dicitur, *Omne instrumentum*, supple bellicum, *et linguam*, &c. Enimvero authores in medio semper conatu destituit successus. Deinde inquit Prophetes, *Non prosperabitur*, &c. Hoc autem

cap. liv. 17

tem

tem verum esse apparet in exemplo Nebuchadnesaris, qui omnes Hebræos à vero numinis cultu ad idololatriam seduxit, præter Danielem, Hananiam, Misaelem, & Hazariam, qui soli in fide nullum naufragium fecerunt. *S*ed quid factum est? Dignas perpetrati sceleris pœnas postea rex luit à Deo, á quo excisus est; restitutaque in locum suum veritas est. Non minus dure & aspere habiti sunt Hebræi sub Græcis: etenim & hi coegerunt illos violare, ac prophanare sabbatum, omittere circumcisionem; & quod nimis acerbum ac grave fuit, inscribere vestibus אין לנו חלק ביי אלהי ישראל id est, *Non tenemus partem in Domino Deo Israelis*. Eadem etiã verba cogebantur inurere cornibus boum, si eorũ opera in arãdo uti vellent. Hæc autem perpessi

sunt

ſunt Hebræi per LII annorum ſpatium. At tandem Deus ſe vindicavit de Antiocho, & omnibus Græcis, everſo ejus imperio, & legibus: Iſraelitarum vero lex & ſtatuta perdurarunt. In memoriam tam duræ perſecutionis ſolent veteres, quandocunque referunt edita Græcorũ adverſus Hebræos, verba ſua hac dicendi formula finire, ושלום על ישראל. *Et pax ſuper Iſrael.* Et ut hoc addam de Emmanuele rege Luſitaniæ, quid ſua inclementia, & ſeveritate profecit, per vim volens adigere Hebræos, ut fierent Chriſtiani? Tantum abeſt, ut ea re quicquam profecerit, ut etiã magna regno incommoda attulerit: quippe poſſeſſoribus paulatim exhauſta fuit ejus regio, diſcedentibus inde Hebræis, in tutiora loca, ubi benignius habentur, & liberius ſuis legibus

vivere permittuntur. Præterea paucos post annos excidit toto Lusitaniæ regno. Neque ea re tantum gloriæ sibi paravit rex, quantum sibi persuadebat se ab omnibus relaturum esse. Et Osorius Historiographus regis, satis acriter & libere eum ob id reprehendere mihi videtur, dum dicit, *Fuit quidem hoc nec ex lege,*
Liber 1. *nec ex religione factum. Quid enim? Tu rebelles animos nullaque ad id suscepta religione constrictos adigas ad credendum ea, quae summa contentione aspernantur & respuunt? idque tibi assumas, ut libertatem voluntatis impedias & vincula mentibus effraenatis injicias? At id neque fieri potest, neq; Christus sanctissimum numen approbat. Voluntarium enim sacrificium non vi mala coactum ab hominibus expetit, neq; vim mentibus inferri, sed voluntates ad studium*
verae

verae religionis allici et invitari iubet. Et alibi, *Facto quidem, iniquum et iniustum*: Ecce ut vere Prophetæ dictum in eo completum sit, *Non prosperaberis*, dum vi scilicet vult cogere Hebræos, ut religionem suam deserant. Huc etiam pertinet illud, quod in Canticis legitur, *Revertere, revertere Sulamitis, revertere revertere et intuebimur in te. Quid videbitis in Sulamit sicut Chorum castrorum.* Quater hic dicitur, *Revertere*, respectu quatuor monarchiarum, sub quibus Israel vixit; Israel autem est hic Sulamit *perfecta*. Quatenus gentes eos seducere conabantur magnis propositis præmiis honorum, ac dignitatum, atque ita avertere à veri Dei cultu. Sed animose respondit Sulamit, se non curare istos honores, quos promittebāt: quippe longe impares, atque inferiores

Cant. VII. II.

inferiores illis honoribus, qui exhibiti sunt in monte Sinai, ubi astiterant copiæ Israelitarum, & chori Angelorum: uti David ait: *Psal. xviii. 18.* Illud autem admiratione dignũ est, quod videamus intercidisse Platonis, Lycurgi, & similium leges: Mosis vero statuta etiamnum locum habere, & observari a quibusdam varias ejus partes, ab his circumcisionem, ab aliis alios ejus ritus, & ceremonias.

VI. Multa etiam evenerunt, quæ Ezechiel multo ante futura prædixerat; uti istud, *Et dispergere faciam te in gentes, et ventilabo te in terras, et deficere faciam immunditiam tuam a te.* *cap. xxii. 15.* Hoc intelligendum est, de captivitate á Romanis, non autem à Nabuchodonosore Hebræis illata: Etenim tum Israelitæ nec dum fuerunt dispersi in quatuor mũdi partes

partes : neque tum cessavit omnis apud illos impuritas & immunditia ob connubia, quæ contrahebantur cum extraneis, & prophanationem Sabbati, aliaq; plura peccata : quamobrem meruerunt, ut rursum captivi abducerentur á Romanis, à quibus deinde in universum orbem terrarum dispersi sunt, postquam videlicet Romani reliquas gentes suo imperio adjecerant, & earum animos lenitate imperandi sibi conciliaverant : alioqui enim haud facile suis viribus potuissent sibi subjicere Iudæos. Vbi autem victi fuere á Romanis, & sedibus suis expulsi : cœperunt incolere Hispaniam, Italiam, Britanniam, Africam, & alios plures tractus: ita ut de illis merito dici possit, quod narratur de Troianis, illos sibi magno honori & gloriæ potuisse ducere,

re, quod patria extorres essent: quippe antea intra suos limites dominabantur: postea vero facti sunt universæ terræ domini. Itidem Hebræi patrio solo ejecti, instar plantarum, quæ ubique terrarum transplantantur, recepti & admissi fuerunt in ejusmodi urbes, quæ populis refertæ sunt, & à principibus earum, in tutissimis civitatum partibus collocati, tanquam fertiles & delicatissimorum fructuum feraces arbores. Experientia docuit urbes istas maxime semper florere, in quibus degit Hebræorum natio, quia videlicet ea ad mercaturam promovendam admodum est idonea. Ita hinc Vlissiponam maxime florere vidimus: quamdiu Hebræis illic tuto agere licuit, quæ jam jacet propemodum, ejecta inde nostra gente.

VII.

VII. Similiter videtur Ezechiel verbis istis suis, *Dicentes vobis devoratrix hominis tu*, prædixisse calumniam istam, quæ impingitur à quibusdam Iudæis, quod bibant sanguinem Christianorum infantium, quos sacrificiorum ergo mactent. Vere hæc est calumnia, non absimilis isti, quam olim Gentiles aspergebant Christianis de esu infantium, & potu sanguinis humani, uti liquet ex Tertulliano, Pineda in historia ejus Ecclesiastica, & Iustino Martyre, qui Apologiam hac in parte pro Christianis scripsit ad Antoninũ. Eusebius Cæsariensis, quoque testatur in Gallia quosdam calumniari solitos Christianos, quod vescerentur humana carne. Sed ita plerunque evenit, ubi

Ichaz. xxxvi. 13.

in Apolog. contra Gentes Monarch. Eccl. lib. xi. cap. 32 Apolog. 2. ad Antonin. Lib. v. cap. 1. & 4.

ambitione, & invidia distrahitur animus hominum, ut facile etiã ad calumniandum feratur. Dicat ergo quæcunque velit Ioannes Langius. Ego sancte juro per Deum Israelis, Creatorem cœli & terræ, in cujus conspectu sto, tantum abesse, ut Iudęi sacrificẽt pueros, vel acuãt dẽtes in carnes humanas, & guttur bibendo sanguini cõmodent; ut sacrificia iis sint nulla, & etiam abominentur omnẽ sanguinis esum Nam etiãsi non prohibeantur lege divina abstinere ab omni sanguine, sed tantum à sanguine animalium terrestrium, & volatilium: nihilominus tamen, ex doctrina Rabbinorum, nullum ac ne piscium quidem sanguinem gustant. Quorum imo si vel guttula una sanguinis in ovo appareat statim ovum istud abominatio ni iis est. Quodsi etiam inter edendum vel minimum aliquid.

lib. 1. Epist. ep. 71.

aliquid ſanguinis appareat in cibo, vel pane, qui fortaſsis ex imbecillitate gingivæ ortus eſt, non attingent amplius eum, niſi ea parte purgarint cibum; vel potius eam partem abjecerint. Quomodo ergo indigne adeo ſe paſcerent ſanguine humano, qui omnẽ in cibo ſanguinem abominantur? Sed hac de re latius in hiſtoria noſtra Hebræorũ, quam paro, ad continuationem hiſtoriæ Flavii Ioſephi.

VIII. Vere etiam evenit, id quod ab Oſea eſt prædictum; *Dies multos manebunt filii Iſrael, ſine rege, ſine principe, ſine ſacrificio, ſine ſtatua, ſine Ephod, & Teraphim.* Enimvero id optime de eo ſtatu dici poteſt, in quo nunc ſunt Cum autem in eo *multos dies* fuerint, idcirco Zion dicit, *Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei.* Proinde

Oſeas .ii. 1.

inde David Psalmo LXXXIX. à versu 20, usque ad finem, graviter coram Deo hac de re conqueritur.

IX. Hamos prædicit infelicem ac miseram Iudæorum sub Tito captivitatẽ: inquit enim *super tribus praevaricationibus Tsor,*
Ham. 1. 9. *& super quatuor nõ convertã eum: super conclusisse ipsos transmigrationem perfectam ipsi Edom, et non recordati sunt fœderis fratrum.* Prædictio hæc intelligenda est, de illis, qui cum evasissent manus Titi, aufugissentque per terram Palæstinam, & fines Tyriorum, apprehendebantur á Tyriis, & ab iis rursum ad Edõ, id est ad Titum & exercitum ejus ducebantur: parum memores fœderis, quod patres eorum injerant cum Israele, quem fratrem suum vocabant: uti legere
1 Reg cap. ix 13. est, 1 Reg. *Quis urbes istæ, quas dedisti mihi frater mi?*

X. Ionas

X. Ionas inquit, *Adhuc quadraginta dies, & Ninive evertitur.* Veritas prophetiæ eventu non caruit: nam ſuberat æquivocatio, aut potius conditio verbis prophetæ. Niſi vid. reſipiſceret. Nam pœnitentia, quã egit civitas, cauſſa fuit, ut Deus conſilium mutaret, & converteret ſe á malo ad bonum. *Ionah* III. 4.

XI. Haggai Propheta ait, *Magna erit gloria domus hujus noviſſimæ, quam prima, dixit Dominus exercituum, & in loco iſto dabo pacem,* &c. Nonnulli per domum *ultimam* intelligũt templum tertium, quod ſperant Hebræi. Etenim ſi intelligeretur de templo Eſdræ, exiſtimant prophetam dicturum fuiſſe domum *ſecundam*, non *ultimam*. Quia ultimam dicit, eo indicat aliquid intermedium templum fuiſſe. Deinde hoc illos movet, *Hagai* ii. 10.

quod dicatur, *Et in illo loco dabo pacem*: atqui sub secundo omnia bello completa fuerunt. Alii intelligunt de secundo tẽplo. quos inter sunt R. David Kimhi, Rab. Hazaryah A-adoni, & magna pars veterum. Hoc autem majori gloria videtur præcellere primo templo, ac primo quidem respectu durationis: nam primũ duravit tantum ccccx annos: secundum vero ccccxx. Deinde ob majorem ejus existimationẽ, in qua fuit apud exteros principes. Præterea ob singularia munera, quibus ab illis dotatum fuit. Nam Darius & Artaxerxes multa munera ad exstructionem templi, & divina sacrificia liberaliter contulerunt. Alexander magnus omni honore prosequutus est summum sacerdotem, petiitque ab eo, ut suo nomine Deo sacrificare vellet. Quis ignorat

ignorat de Ptolomæo Philadelpho, quantis beneficiis affecerit templum? Et Antiochus Græcorum rex, publico edicto vetuit, ne quis extraneus intraret templum, & prophanaret locum, quem religioni, & divino cultui consecrarant Hebræi. Similiter factitatum est á Demetrio. Huc etiam illud pertinet, quod contendentibus Hierosolymitanis, & Samaritanis coram Alexādro Magno, de templi honore ac dignitate, Hierosolymitanus sacerdos pro sua causa inter alia dixerit, hoc templum ab omnibus Asiæ regibus magna semper in veneratione habitum, & variis, ac splendidis muneribus ditatum esse. Apud Flav. Iosephum adversus Apionem legimus, de Ptolomæo Evergete, illum devicta Syria, non idolis & falsis diis: sed Hierosolymis, ex more

Hebræorum, vero Deo Eucharistica sacrificia obtulisse. At Pompeius Magnus non ausus est attingere, seu potius expilare thesauros templi. Quod falso existimat Tullius, cui assentitur Augustinus lib. de Civitate Dei, ideo non fecisse Pompeium, ne audiret nimis ambitiosus: hoc enim nimis ineptum, & dictu ridiculum est. Potuit enim illud ex jure militari merito fecisse. Sed alia causa fuit, quare abstinere ab illis voluerit: nempe veneratio loci, qua animus ejus afficiebatur. Philo Judæus ex epistola Agrippæ ad Imperatorem Caium, refert hæc verba. Cæsar Augustus ob venerationẽ loci, jussit ex suo reditu offerri omnibus diebus sacrificium. Et Iulia Augusta uxor ejus dedit illi varia, ac magnifica munera. Optime etiam de illo meruit sua

in ora. pro Planc.

libera

liberalitate Cleopatra Regina Ægypti. Tiberius per XXII imperii ſui annos juſſit ex vecti-galibus ſuis ſacrificari Deo. Idē fecit Nero. Vbi autem Eleazar imprudenter nimis Neronis ſa-crificium admittere nollet, aba-lienavit ea res imperatoris ani-mum, & magnæ perſecutionis cauſa exſtitit. Omitto jam dicere de illis, qui perſpecta Hebræorū religione converterunt ſe tum temporis ad cultum veri Dei. De Mumbaz, & Helena regina, le-gimus illos reliquiſſe terrā ſuam, & ſuſcepta fide Hebræorum, Mumbam ſe curaſſe circuncidi. Illud etiam magno honori tēpli factum eſſe credibile eſt, quod toto illo tempore, quo duravit ędificatio Herodis, interdiu non pluit, ne opus impediretur. Quæ omnia enim in finem á me dicta ſunt, ut appareat, prophetiam

Ioſep. Antiq Iud. lib. xv. c. 14. Tabanit c. 3

Hagai intelligendam esse de secundo templo.

SECTIO VI.

VEniamus nunc ad Hagiographa, quibus etiam multæ prædictiones, postea peractæ continentur.

I. Daniel non solum prædixit quatuor Monarchias, quæ dominaturę essent Hierosolymis; sed etiam qualitates, & conditiones earum expressit. Etenim imago illa, quæ ex quatuor metallis conflata oculis ejus repræsentabatur, ea parte, qua aurea erat, significabat regnum Babylonicũ: illud enim potentia reliqua omnia superavit. Qua argentea, Medicum: illud autẽ non adeo longe dilatatum fuit. Qua æneum, Græcorum imperium

perium, cujus fama gestis Alexandri Magni universum orbem terrarum implevit, instar ejus, quod maxime sonorum est. Qua ferrum, Romanum. Quod autem pedes, & digiti eorum, partim fictiles, partem ferrei essent, illud designabat Imperium Romanorum, & Mahumetarum qui bello inter se contenderent, nec pacem colerent, uti nec coire, sive misceri possunt ferrum & & lutum. Quod autem hæ duæ gentes nunquam amice inter se conspirarent, indicat hisce etiam vetbis, *Miscentes se ad existendum in semine hominis, & non ad existendum adhærentes huic cum illo.* Atque hæc omnia impleta esse vidimus. Sed illud animadvertendum est hic, quod statim prophetes huic subjungit fabricam aureæ statuæ, quam Nabuchodonosor eo animo conflari *Dan. ii. xliii*
cura

curaverat, ut coram illo se omnes ejus subditi incurvarent. Quod certe non caret ratione. Videtur autem rex, considerans imaginem illam, quam in somnis viderat, signum esse quatuor imperiorum, quorum primarium suum esset, quod possidebat, voluisse irritum facere consilium divinum. Propterea curavit auream statuam fieri, & jussit ut illi populus divinos honores exhiberet, quo animos vulgi sibi devinciret, & nomen sibi non tantum æternum acquireret: sed etiam regnum in posteris confirmaret. Sed consilia Dei nonpossunt humanis artibus inefficacia reddi.

II. Audito somnio regis Nabuchodonosoris de arbore, Daniel hunc in modum illud interpretatus est, *Et te trudentes ab homine, & cum fera agri ad exi-*

ibid. iv 22.

stendum

ſtendum habitationem tuam. Et ita evenit. Nam non ita longe poſt hęc Nabuchodonoſor in gravem melancholiam incidit, qua affectus deſeruit palatium, ſubterfugit conſpectum, & familiaritatem hominum, & in deſerto integros annos, abſque ulla cura corporis, & capillorum: ita ut coma nimium quantum creſceret, & ungues ejus tanquã avium ungues fierent. Atque hæc vera eſt prophetiæ hujus interpretatio, cõtra eos, qui putant regem Nebucadn'eſarem tanquam Circæo quodam poculo, in feram commutatum eſſe; cujuſmodi fabulas nobis in Metamorphoſi ſua Ovidius, & poetarum alii multas referunt. Quippe ſi ita cum eo comparatum fuiſſet, non cogitaſſet de Deo, de pœnitentia, & vitæ emendatione, & imploratione miſericordiæ divinæ,

quam

quam poſtea etiam obtinuit: hæc enim mentis rationalis operatio eſt: quæ in illo non fuiſſet, ſi in beſtiam converſus fuiſſe. Ratio eſt, quia in uno & eodem ſubjecto, non poteſt eſſe anima irrationalis, & rationalis.

III. Baltheſare cū optimatibus regni ſui convivantę viſa eſt manus ſcribentis angeli in pariete:

ס	ו	ת	מ	מ
י	פ	ק	נ	נ
ן	ר	ל	א	א

Eam ſapientes non potuerunt legere; multo minus ſenſum ejus rei, quæ ſcripta erat, aſſequi: quia legebant linea recta, cum longa debuiſſent. At Daniel ubi acceſſit, legit ſcriptum, ut oportuit, & interpretans illud ait regi, Deum numeraſſe regnū ejus, quod ei dederat, appenſumque

ſumque

ſumque eſſe lance: ſed juſto leviorem repertum; ac proinde regnum ejus traditu iri Perſis. Et vere hæc ei acciderunt, ob profanata templi vaſa. Nam eunuchi ejus, credentes prophetiæ Danielis, nocte ſequenti caput illi præciderunt, & ad Perſas tulerunt, qui pridie erant victi, illoſque adhortati ſunt, ut imperium occuparent. Perſæ autem perſpecta providentia divina & virtute Danielis, multa fecerunt in gratiam Hebræorum.

IV. Conſiderata quadruplici *ibid.* Monarchia ex viſione leonis, *vii.3.* tigris, & horribilis iſtius beſtiæ, quæ quarta erat; de ſecunda beſtia ait (quod Perſarũ erat ſymbolũ) in *ore ejus tres coſtas fuiſſe*, quatenus Perſicum, Medicum, & Babylonicum in unum coaluerunt. Quia autem Cyrus lacte canino educatus fuit, ideo ait,

ſubditos

subditos ob crudelitatem ejus, dicturos illi, *Surge, comede carnem.* Tertiam bestiam, qua tertia Monarchia adumbrabatur, inquit quatuor habuisse *capita*: idq; propter quatuor præfectos qui Alexandro Magno in regno successerunt. Quartam ac ferocissimam bestiam, Romanos signantem, inquit, *decem cornua* habuisse, quia á Iulio Cæsare usq; ad Vespasianum, eversorem Hierosolymorum, decem numero fuere Imperatores. Sunt qui per illud *cornu parvum*, quod in ea bestia erat, intelligunt Papam Romanum: de quo plura dicere brevitatis ergo omitto. Itaque hæc prophetia etiam adimpleta fuit.

V. Post hæc Daniel missos facit Babylonios, nec ulterius lingua utitur Chaldæa: nempe quoniam Imperium eorum finitum,

tum & ſeptuaginta annorum ſpatium exſpiraverat, quo Hebræorum ſub illis captivitas duratura erat. Idcirco Prophetat deinceps non lingua Chaldaica: ſed Hebrea. Hac itaque dixit, vidiſſe ſeſe *arietem*, habentem duo cornua, quæ repræſentant imperium Perſicum ſub Dario, & Medorum ſub Cyro. Hic aries, qui erat ab Oriente, bellum intulit, ut ait, aliis tribus mundi tractibus. Atque ita accidit. Huic arieti oppoſuit ſeſe ab Occidente *hircus caprarum*, id eſt, Alexander Magnus; qui merito Magni cognomentum ſortitus fuit, ſi eum compares cum Dario, quem vicit. Hujus ſi Alexandri potentiam cōſideres, quaſi unum cornu gerebat: proinde etiam prophetes dicit, inſigne illum inter oculos cornu habuiſſe. *Et percuſsit arietem*, quatenus

Dan. vii. 3.

tenus hic florẽte ætate, & regno, ex eo in excussus est. *Et ut roboratus, magnum fractum est cornu.* Etenim Alexander Magnus Babylone, auditis totius fere mundi legationibus, ut refert Plutarch. ab Antipatri filiis, veneno sublatus est. Quod autẽ addit, *quatuor pro eo succrevisse cornua*, eo significat, quatuor Satrapas, qui Alexandro successerunt. Ex his rursum ait, *egressum unum parvum cornu*: quod occuparat Hierosolyma (quod indicatur voce צבי) & magnam ac funestã in ea urbe stragẽ edidit, cædendo sacerdotes, ac pios viros, & tollendo juge sacrificium, quod designatur his verbis, *& dejecit terram de exercitu cælorum.* Hæc autẽ omnia Antiochũ Epiphanẽ figurant, á quo omnia ista fuere patrata, ut historici prodiderunt.

VI. Sequitur deinde prophetia

phetia Danielis, de ſeptuaginta hebdomadibus: ſuper cujus explicatione non eadẽ, ac conſtans omnium eſt opinio. Mire enim variant auctores in ſupputando earum numero. Verba autem prophetæ ſunt: *Hebdomadæ ſeptuaginta deciſa ſuper populum tuum & ſuper civitatem ſanctitatis tuæ, ad conſumendum prævaricationem, et ad ſigillandum peccata, & ad expiandum iniquitatem, & ad adducendum juſtitiam ſæculorum, & ad ſigillandum viſionem, & prophetam, & ad ungendum ſanctitatem ſanctitatum. Et ſcies, & intelliges, ab exitu ſermonis ad reverti faciendum, & ad ædificandum Ieruſalem, uſque ad unctu ducem hebdomadae ſeptem, & hebdomadae ſexaginta & duae redibit, & aedificabitur platea & foſſæ, & in coarctatione temporum: & poſt hebdomadas ſexaginta & duas* *ibid. ix.24.*

indicant hæc verba : *Ego Daniel* *ibid.*
affectus fui , & aegrotavi dies. *verſ.*
Adde , quod non potuerit intel- *27.*
ligere , quid prophetia ſibi vellet , juxta illud , *& ſtupebam ſuper viſione, et non intelligebam.* Ab una parte conſiderabat veniſſe finem LXX annorum , quo Iſrael liberaretur ſua captivitate. Ab altera parte rurſus conſiderabat quatuor Monarchias, quantopere populum vexaturæ forent: ac proinde dubitabat, an non fortaſſe ob malitiam populi captivitas prolongaretur. Vnde ſequitur cap. IX. *Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum , quo fuit verbum* Domini *ad Ieremiah prophetam , ad complendum deſolationes Ieruſalaim ſeptuaginta annis.* Confeſtim Deum oravit , *Et oravi Dominum* Deum *meum.* Etenim precibus ſolet flecti , atque exorari Deus. Et

vix

vixdum finierat preces, quin
mox illi Angelus aſtitit, dicens:
verſ. 22. *Nunc egreſſus ſum ad intelligere faciendum te intelligentiam.* Atque
ita ait, *Hebdomades ſeptuaginta,*
&c. Hic illi denuntiatur præſens
libertas, & futura aliquando
nova, ac dura populi captivitas,
per quam ab omni peccatorum
reatu Iſrael mundaretur. Etenim
captivitas Babylonica, non amplius, quã L X X annos duravit,
quia reſpondebat ſemitis, quas
ſeptimo quoque anno, non obſervaverant, nec ferias agris conceſſerant. Septuaginta autem
illæ hebdomades Danielis faciunt ccccxc annos. Itaque cum
dicit, *Decîſa ſuper populum tuum, ad cõſummendum praevaricationem, iniquitatem, et peccata*: tantum
eſt, quaſi diceret, poſt conſummationem ccccxc annorum, ſequetur ea populi tui captivitas,
qua

qua purgabitur ab idololatria, homicidio, & adulterio, quæ ſunt tria maxima peccata. Et poſt peractam hanc mundationem, ſequetur tempus juſtitiæ, juxta illud, *Et ad adducendam juſtitiam ſeculi:* id eſt, non erit amplius peccatum, ſed, ut Eſaias ait, *Iuſtitia erit ſemper.* Alibi item: *Et populus tuus omnibus erit juſtus.* Atque idem omnes atteſtantur prophetæ. Subdit porro Daniel: *Ad ſigillandum viſionem, & prophetam:* quaſi diceret, omnes prophetiæ tum obſignabuntur, quatenus eæ omnes, quæ futuræ erunt, complebuntur. Vel ea prophetæ mẽs eſt; tum auctiorẽ fore vim prophetiæ. Quippe Deus apud Ioel ait, *Effundã ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiae veſtrae.* Præ-

cap. LI.8.
cap. lx.21.
Ioel. iii. 1.

terea ait, *ad ungendum sanctitatem sanctitatum*: id est, sanctum sanctorum. Nam in secundo templo non fuit unctum, quia non foret æternum. Et post hæc vult dicere prophetes, finita prophetia & sacrificia instaurabuntur, quibus hodierno die caremus.

Cæterum LXX septimanas illas, sacra scripturas trifariam partitur. Primam partem constituunt septem hebdomades, quæ faciunt xlix annos, & ait, *Ab exitu sermonis, ad reverti faciendum, & ad ædificandum Jerusalē usq; ad unctum ducem, hebdomades septem*. Etenim á destructione primi templi, usque ad instaurationem secundi, quæ facta permissu Cyri, Regis Persarum, sunt xlix anni. Quod autem hic dicit *unctum ducem*, intelligi illud potest, vel de summo

mo sacerdote, qui oleo sanctitatis solet ungi, ac proinde etiã Messias dicitur: vel de Zorobabele Iudæorum duce, ac familiæ Davidicæ principe: vel de ipso etiam Cyro: nam de illo inquit Esaias: *sic dixit Dominus uncto suo Cyro.* Itaque usq; ad Cyrum sunt xlix anni. Sequitur deinde: *Et hebdomadas sexaginta, et duae: redibit, et aedificabitur platea*: hoc est, ab initio instaurationis tẽpli secundi, usque ad principium eversionis ejus, quod fuit cum Vespasianus Iudæam intraret, erunt anni ccccxxxiv. Nempe xiii anni Cyri, sub quo tẽplum instauratum: vi. Artaxerxis, & ii. Darii; in cujus postremo anno, ædificatio templi fuit completa: simul faciunt xxi. Et tunc impleti sunt lxx anni captivitatis Babylonicæ. Supputando autem ab hoc secundo anno Darii, usq;

Esai. xlviii.

ad introitum Vespasiani in Iudæã anni ccccxiv, efficiuntur anni ccccxxiv. Atque hi efficiunt lxii hebdomadas Danielis. Et quod dicitur *in angustia tẽporum*, illud eventus satis docuit. Nam positis prope sese armis, templum initio ædificãdum erar Israelitis: usque adeo metuebant, ut impetu hostili cœptum opus turbaretur. Ac postea quoque infestum inimicorum animum satis persenserunt; ubi bello illos Græci, & Romani aggressi sunt. Daniel porro dicit: *Ac post hebdomadas sexaginta, & duas excidetur unctus, & non ei*, &c. Quod intelligendum de Agrippa ultimo Hebræorum rege. Hic enim occisus fuit Romæ ab Imperatore Vespasiano: uti & filius ejus Mumbas, tribus annis & dimidio ante destructionem templi: quemadmodum constat ex Io-

sepho

ſepho, & ex Sepher a-kabala de Arabad. Quod autem dicitur, *non ei*, ea phraſi denotatur, exitium regni. Mortuo enim illo rege, non alium habuerunt Iudæi. Sequitur deinde: *Et civitatem, & ſanctitatem corrumpet populus ducis.* Hoc quoque experientia docuit. Nam à Tito urbs, & templum everſa ſunt. Et populo ducis, ſeu Titi, aſſcribitur cauſa deſtructionis; quia Titus ſemper fuit eo animo affectus, ut conſervaretur tēplum, Poſtea ſubdit: *Et finis ejus in inundatione, & uſque ad finem belli, deciſæ deſolationes.* Quippe ab initio belli uſque ad finem, & præſertim durante obſidione, undique fuit deſtructio, tam intus, quam extra. Nam qui obſidebantur, & qui obſidebant, urbem deſtruebant, donec tandem flammis penitus everſa eſt.

Posthæc aliam facit distinctionem hebdomadum, cum dicit: *Et roboravit pactum multis, hebdomade una.* Nam Titus toto illo septennio, quo bellum durabat, semper pacem obtulit Hebræis, sub ea tantum conditione, ut Romanos agnoscerent Dominos, & tributa illis penderent; uti Flav. Iosephus narrat. *Et dimidio hebdomadis cessare faciet sacrificium, & munus.* Hoc quoque ita evenit. Nam propter bellum assiduum & grave, per triennium, ac dimidium anni, intermiserunt offerre sacrificia sacerdotes. *Et super alam abominationum stupefaciens.* Quippe locus ille, qui sacer ante erat rebus divinis, quæ ibi peragebantur, fiet receptaculum omnis immunditiei, & inanis idololatriæ. Atque hic desinit revelatio divina: qua Deus Danielē docuit, populum

populum non diutius permanſurum in captivitate Babylonica: ſed ea liberatum iri. At vero aliquando rurſum graviori, ac diuturniori captivitate preſſum iri, in qua ſentiret omnia mala, & eas omnes calamitates, quas fore ſub quarta Monarchia, prædictum erat.

Verum, ut addam illud interpretationis hujus prophetiæ, varie illa etiam ab hujus ævi Hebræis explicata eſt: neque illud mirum cuiquam videri debet, ſi in prophetia tam obſcura variét etiam ſententiæ. Idcirco ſunt, qui ita illas ſeptuaginta ſeptimanas accipiant, ut dicant poſt finem illarum venturum Meſſiam, qui illos dominos cõſtituturus ſit totius mundi. Atq; hoc quidem opinati ſunt omnes, qui arma tum temporis adverſus Romanos ſuſceperunt. Ac licet

multis ærumnis, & laboribus obnoxii essent: nihilominus tamen semper spem suam in venturo Messia posuerunt: quippe putarunt eum mediis in ærumnis conspectum sui præbiturum esse. Quare verba hæc *ad consummandum praevaricationem*, ita exposuerunt, ut post exspirationem LXX hebdomadum, peccata remitterentur. Alii contrarium senserunt, accipiendo prophetiam (uti in Talmude tractatu de Nazir) de excidio Hierosolymorum; eoque bellum illis abominationi fuit. Cum autem prospere cuncta Tito succederent, illum pro domino amplexi sunt Atq; hi potius, ob infelicem patriæ fortunam, prophetiam Vespasiano accommodarunt. His astipulatur Iosephus, cujus verba adducere lubet: *Sed quod maxime eos ad bellum excitaverat*

Bello Iud. lib. vii. cap. 12

verat, responsum erat ambiguum, itidem in sacris libris inventum, quod eo tempore quidam esset ex eorum finibus orbis terræ habiturus imperium. Id enim illi quidem quasi proprium acceperunt: multique sapientes interpretatione decepti sunt. Hoc autem plane responsum, Vespasiani designabatur imperium, qui apud Iudaeam creatus est imperator. Sed enim homines fatum vitare non possunt, etiamsi praeviderint. At vero hi signorum quaedam pro sua libidine interpretati sunt, alia contempsere: donec patrio excidio, suaque pernicie, eorum iniquitas confutata est. Huc etiam pertinet, quod Tacitus his verbis refert: *Pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Iudaea rerum potirentur: quae ambages Vespasianum,* *Tacit. lib. v. histor.*

ac Titum, praedixerant: sed vulgus, more humanae cupidinis, sibi tantā fatorum magnitudinem interpretati, ne adversis quidem ad vera mutabantur. Suetonius hujus oraculi quoque meminit: *per crebuerat Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Iudaea profecti, rerum potirentur. Id de Imperatore Rom. quantum eventu postea praedictum patuit, Iudaei ad se trahentes, rebellarunt: caesoque praeposito, legatum insuper Syriæ consularem suppetias ferentem, rapta aquila fugarunt.* Similiter Servius in Commentariis ad Virgil. Æneid. *Nam et Suetonius ait in vita Caesaris, responsa esse data per totum orbē, nasci invictum imperatorem.*

in Vespas. cap. iv.

in Virgil. Aeneidos lib. vi.

Cum itaq; ea ferme omnium prudentum, ac doctorum virorum sententia esset; Iosephus, (ut erat vir prudens & sacra-

rum literarum intelligens) devicta Iotapata, de rebus Hebræorum actum esse judicavit. Ac proinde Iosephus annunciavit Vespasiano, quasi revelatione divina, seu cœlitus id edoctus, eum prophetarum vaticiniis imperatorem designari. Non quasi existimem Iosephum spiritu prophetico donatum fuisse: spiritus enim propheticus, juxta veterum sententiam, nulli sub secundo templo concessus fuit: sed ut gratiam Vespasiani sibi conciliaret, idcirco id eum dixisse arbitror. Verum cum juxta prædictionem ejus intra xlvii dies, Iotopata capta esset, & qua erat sagacitate animi, prævideret Hierosolyma in manus Romanorum ventura: ita verba, & totum negotium componere noverat, ut fidem prædictioni suæ inveniret. Ne-

que hoc Hebræos latuit, vid. Hierosolyma non posse occupari, nisi ab eo, qui summæ auctoritatis esset, & cuncta moderaretur. Vnde legimus in Talmude, de Rabā Iohanan ben Zacai, illũ relicta urbe, ut effugeret periculum, quod intra mœnia sæpe á seditiosis metuendũ erat, capulo inclusum esse delatum in castra, & Vespasianum accessisse, eumque imperatorem salutasse. Qui cum negaret se eum esse. Imo inquit, is es, & quidem designatus jam olim oraculo divino. Quippe Esaias ait, *Et libanus cadet in potentem*, id est, qui summa rerum potitur. Atq; hinc liquet etiam complementum prophetiæ.

Iustin. cap. 5.

Esai. x. 32.

VII. Cum autem Daniel admodũ consternatus esset, ob calamitatis populo suo eventuras sub quatuor Monarchiis; Deo placuit

cuit consternatum ejus animum erigere, prædictione singularis alicujus felicitatis, quæ populum Israeliticum maneret, *Ecce ait adhuc tres reges stantes in Perside, & quartus ditabitur opulentia magna.* Dan. xi. 2. Eo designatur post Cyrum tres tantum reges Persiæ futuros. Sunt qui ex historicis colligũt XIV reges Persiæ fuisse, alii VII. Sed error omnis ex eo fluit, quod Cyrum faciunt primum regem, cum fuerit undecimus: quem secuti sunt Cambyses, Assuerus sive Artaxerxes, & Darius Assueri & Hesteræ filius. Illi autem tres reges á propheta hic designantur. Porro Darius cum esset materno genere oriundus ex Hebræis, Iudæis permisit ædificare templum, & Ezræ jussit, ut populum erudiret ex lege Mosaica; Nehemiæ vero, ut procuraret instauratio-

nem

nem mœnium. Sic autem Darius, dum affectat imperium Græciæ, infeliciter suo ab Alexandro Magno excussus est. Præterea inquit, *Et stetit rex fortis*, supple Alexander. *Et dividetur in quatuor ventos*: respectu eorum, qui Alexandro successerunt in imperio. Multa præterea prædicit prophetes, ut de Seleuco, rege Assyriorum, & Babyloniorum, & Ptolomæo Lago, & plura id genus alia. Atque hæc de complementis quarundam prophetiarum, quarum effectum á libero hominis arbitrio pependisse certum est. Inde concludimus, Deum non tantum ea, quæ decrevit facere singulari aliquo modo, sed etiam futura contingentia præscire.

Lib.x. c. ult. Huc pertinet, quod à Iosepho dicitur: Eodem autem modo scripsit & de Romanorum imperio

perio, & quantam vaſtitatem illaturi eſſent noſtris hominibus. Hæc omnia divinitus ſibi demonſtrata ſcripto tradidit, & poſteris legenda reliquit, ut videntes eventum non diſcrepare á prædictionibus, Danielem mirentur ob tam inſignem honorem illi á Deo habitum: ſimulque Epicuræorum error coarguatur, qui providentiam è vita tollunt, & Deo regimen rerum nolunt permittere, nec credunt univerſitatem illam à beata illa & immortali eſſentia vel conſervari vel gubernari; ſed ſine rectore & curatore mũdum ſuopte impetu ferri, aſſeverant: qui ſi ita, ut illi autumant, careret præſide, quemadmodum naves ſine gubernatoribus videmus procellis & fluctibus obrui, curruſque aurigis deſtitutos everti ac confringi: ita & ipſe perde-

retur

retur immoderato impetu.
Quamobrem dum Danielis vaticinia considero, non possum nondamnare ipsorum inscitiam, qui Deo negant curæ esse res mortalium: qui enim fieri potuit, ut prophetiis ejus responderet eventus, si temere in mundo gererentur omnia? Verũ ego hæc ita, ut inveni in literas retuli. Quod si quis mavult diversam opinionem sequi; id per me quidem illi erit integrum.

Atque hæc quidem breviter perstrinximus: si quis autem, omnes Hebræorum controversias videre desiderat, quæ inter eos moventur circa explicationem prædictionum, quæ in Daniele leguntur, is adeat Abravanelis tractatum מעייני הישועה quem doctissimum virum Buxtorfium latine vertisse intelligo. Sed vero fatendum est, obscuras

obscuras esse omnes prophetias, nec sciri sensum earum antequã cõpletæ sint. Voluit enim Deus eas obscure proponi, ut libero arbitrio in actionibus nostris locus esset. Nã si homines scirent aliquid certo, & inevitabiliter eventurum, juxta Dei decretum, desperarent de bono, & curam effugiendi malum deponerent: sed vero ut semper bene sperarent, placuit Deo tecte cum hominibus in prophetiis suis agere.

Valde autẽ antiqui Deum celebrarunt ab infallibili sua præscientia; unde in Rabot exempli ergo narrant de Esaia, eum ex instinctu divino sex generationibus ante dixisse, quæ â Nabuchodonosoro gesta sunt. Quare merito propheta Hamos dixit *Quia non faciet Dominus Deus rem, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas.* Et

Semot Rab. sect. xxi. 15
Esai. c. xiv. 15.
Ham. iii. 7.

Esaias

Esa. xlvi. 10. Esaias, *Annuncians ab exordio novissimum, & ab initio quae non facta sunt.* Atque hæc hactenus de divina futurorum contingentium præscientia.

SECTIO VII.

SVnt nonnulli, qui negant præscientiam divinam, ob hæc & similia, quæ in sacris reperiuntur. *Gen. xxiii.* Deus tentavit Abraham. Nunc scio, te Deum timere, &c. De ædificati one turris Babylonicæ, *ibid. vers. xii.* *Et descendit Dominus ad videndum civitatem.* & alibi, *ibid. xi. 5.* *Descendam nunc & videbo.* Et *ibid. xviii. 1* apud Esaiam, *Expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas.* *Esai. viii. 2.* Ex his probari posse existimant, Deum non habere futurorum contingentium præscientiam. Sed vero adeat lector conciliatorem nostrum

ſtrum ſuper Gen. ubi abunde de his, ſimul etiam de loquendi phraſibus iſtis, Deus venit tentare Abrahamum, &c. diximus. Sed breviter tantum, nunc dico, eſſe modum loquendi viris prudentibus uſitatum, quando ex duobus malis, minus eligere ſolent. Ita hic etiam fit. Quippe cum Deus omnia præſciat, id quod præſcit, aut aperte de omnibus, & ubique ſpecialiter judicandum fuit, aut latenter ſub obſcura phraſi proponendum. Si prius, homines ſciendo decreta Dei, vix ullam vitæ ſuæ rationem haberent. Si poſterius, phraſi minus conveniente Deo utendum erat. Quod igitur interea fit à Deo? maluit ita loqui, quaſi futura ignoraret, ut nobiſcum balbutiret, & uti phraſi obſcura minuſq; commoda aut accurata, ut libertas actionum noſtrarũ tecta maneret. Eodem modo

modo Deo solet sacra Scriptura ascribere oculos, manus, &c. non quasi membra talia habeat, cum sit incorporeus: sed tantum ad designandam Dei providentiam, & potentiam. R. Moses Ægyptius inquit, & cum eo plures. דברה תורה כלשון בני אדם id est, loquitur lex linguam hominum, id est, more humano, ut melius intelligatur. Alii dicunt si in Deo est cognitio futurorum contingentium, ac proinde cura rerum humanarum, cur bonis sæpe tam male, & malis tam bene est? Sed huic objectioni jam olim responsum est à prophetis: unde Asaph Psal. LXXXIII inquit, *Et dicunt, quomodo novit Deus? & an est scientia in excelso? Ecce isti impii & pacati sæculo multiplicant divitias. Certe in vanum mundavi cor meum, & lavavi in munditiã manus meas, &c.*

Psal. xxxiii 2. 11.

Simi.

Similiter Malachias inquit, *Dixiſti vanum eſt colere Deum, & quid emolumenti quod cuſtodierimus cuſtodiam ejus, et quod ambulaverimus humiliter propter Dominum exercituum? Nunc ergo beatos dicimus ſuperbos, etiam aedificantur facientes iniquitatem,* &c. *Malach. iii. 13.*

David autem hoc modo loquitur. *Viduam et peregrinum interficiunt, et pupillos occidunt. Et dixerunt, non videt Iah, neque intelliget Deus Iahacob: intelligite ſtupidi in populo, et fatui quando intelligetis? An qui plantavit aurem non audiet? an qui finxit oculum non videbit? an qui corripit gentes, non arguet? qui docet hominem ſcientiam, &c.* Vnde R. Moſes Ægyptius in Directorio ſuo ait: Dixerunt mihi duo viri intelligentes ex gente noſtra, Medici, qui mirabantur verba hæc *Pſal. xciv. 6* *Pars. iii. cap. 19.*

hæc Davidis? Dixerunt: Si ita argumentari liceret, sequeretur etiam secundum illius rationem; Qui creavit os, comedet: Qui finxit pulmonem, vociferabitur: & similiter reliquis membris. Sed attende, Lector candide, quam longe absint à recto & vero hujus argumenti sensu, eumque à me accipe.

Palam est, quod artifex qui instrumentum aliquot fabricat, nullo modo illud posset facere, nisi illius usum sciret. E. G. Nisi faber sciret, & intelligeret rationem suendi, nequaquam hujus formæ acum, sine qua sutura confici nequit, conficeret. Et sic de reliquis instrumentis. Quandoquidem ergo quidam ex Philosophis existimarunt, Deum non apprehendere ista ista particularia, eo quod sint objecta sensuum: Deus autem

tem per ſenſus non apprehendat, ſed apprehenſione tantum intellectuali: Idcirco argumentatus eſt contra eos ab exiſtentia ſenſuum, hoc pacto; ſi apprehenſio viſus abſcondita eſſet à Deo Opt. Max. & eam neſciret, quomodo potuiſſet facere inſtrumentum iſtud aptum ad apprehenſionem viſus? An probabile eſt, caſu & per accidens creatum eſſe in eo (oculo ſc. tanquã viſus inſtrumento) humorẽ unum limpidiſſimum, ſub eo humorem alium, & ſub hoc tunicam quandam? Et an fortuito factum eſt, quod ſit in eo perforatum foramen, & è regione foraminis, illius tunica clariſſima & dura? In ſumma, num ſapiẽs aliquis cogitare poteſt, omnes humores, tunicas, & nervos opticos, in quibus ſingulis exactiſſimam conſpicimus diſpoſi-

tionem

tionem, quæque omnia hujus actionis causa facta sunt, per accidens ita esse? Nequaquam. Sed sunt ex certa intentione naturæ, sicut Medici & Philosophi docent. Natura non est prædita intellectu nec ἡγεμονικὴ, ut iterum in confesso est apud Philosophos. Sed hoc regimen, hæc gubernatio, quæ est instar ingeniosi alicujus artificii, provenit ex sententia Philosophorum *á principio quodam intellectuali*, & secundum nostram sententiam *ab operatione intellectu praediti*, qui facultates indidit iis, quibus facultas naturalis reperitur. Quod si vero intellectus ille hãc rem non apprehendit, nec intelligit: quomodo vel facere vel derivari ab ipso potuit, juxta sententiam illam, Natura, quæ intendat vel respiciat ad talem rem, cujus cognitionem nullam habet?

habet? Vere itaque David eos appellavit *brutos & stultos*. Huc- *in gen. q. xliii* usque Maimonides. Nos vero de bonorũ fortuna, dum vivunt, adversa; fusius in cõsiliatore nostro.

SECTIO VIII.

TRia adhuc restant, quæ paucis expedire conabor: I. probandum mihi est, hominem liberum conditum esse á Deo, & in potestate ejus positum esse vitam aut mortem eligere. II. Requiri concursum divinum in actionibus humanis: etenim ut homo salvetur, non tantum humana facultate, sed etiam divina ope & auxilio cœlesti opus habet. III. Deum pro sua sapientia moderari actiones nostras, & dirigere in finem sibi propositum, ut puniat, vel benefaciat hominibus.

In Pird. Abot & in Epist.

Homines libero arbitrio præditos esse à Deo, ipsa ratio dictat. Rab. Moses Aegyptius inquit, quid leges? quid affirmativa, & negativa præcepta? an non satis indicant liberum esse homini, ut si velit virtute vitam sibi acquirat, & si nolit vitiis suis exitium in caput suum accersat? Nemo pœnam decrevit illi, qui impotens fuit ad mandatum exequendum, vel qui coactè, & invitus transgressor legis factus est. Itaque injustum nimis etiam foret, Deum punire homines ob id factum, ad quod prædestinati sunt, & quod ex vi decreti divini non potuerunt non facere. Si nulla est actionis libertas, labascit cura ac studium tuendæ vitæ, inciduntur nervi optimis admonitionibus, & tollitur omnis delicti culpa. Eat enim, cui destinatum est laqueo

gulam

gulam frangi, mucrone ſpiritum expelli, & aquis vitam mergi: nunquam tam pulchre aget, ut fatum ſuum effugere poſſit. Attamen non dormitantibus omnia conferri á Deo, ſed operi invigilantibus; non ſocordibus, & ignavis, ſed diligentibus, divinam benedictionem affluere videmus. Miſerior, inquit Cyrillus, eſſet hominum eruditio, quam brutorum, ſi hæc ex inſtinctu agerent, illi vero vi quadam cogerentur. Cui bono etiam, quærit Tullius, leges, amici, & bona conſilia? Denique vix ullus inveniretur, inquit R. Ioſeph Albo, qui ſolicitus de vita, atque actionibus ſuis eſſet, ſi liber non eſſet. At contrarium liquet ex experientia: non enim ſecuritatis, ſed ſolicitudinis ſunt ſigna, tecta, mœnia, arma, navigatio, agricultura, & id genus alia,

Tacit. 4. hiſt.

Lib. iii cap. 8. contra Iuli.

Hicarim lib. 4. cap. 1.

alia, quibus vitæ commodis ſtudemus. Sed hoc ipſum atteſtatur ſacra Scriptura, quia in ea legimus, Adamum libero arbitrio in creatione hujus univerſi præditum fuiſſe; eaque facultate cæteras omnes creaturas ſuperare: nam Sol neceſſario, & ſemper lucet, ignis calefacit, aqua humectat, & ſic de aliis: homo vero liber eſt in opere ſuo. Hujus etiam reſpectu, homo dicitur factus ad imaginem Dei. Neque ſolet quippiam cuiquam homini præſcribi, quod in ipſius poteſtate nõ facere, aut omittere. Idcirco enim neceſſe fuit Adã libero arbitrio prędictus eſſet, quãdo ei vetabat Deus edere de arbore ſcientiæ boni & mali. Ne dicam injuſtum Deum fuiſſe, (quod blaſphemum eſt de Deo cogitare) quando eum punivit, ſi liberá iſtam poteſtatem non habuit.

Iuxta

Iuxta illud, *Ecce homo fuit, sicut unus ex nobis ad sciendum bonum & malum: & nunc ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de arbore vitæ, & comedat, & vivat in seculum: & misit eum Dominus de horto Heden, &c.* Quasi diceret, alloquens Angelos tanquã unius ex nobis, liber in suis actionibus: veluti Ionathan ben Vsiel, & Ankelos in paraphrasi sua [quem sequitur Rab. Sehadias in versione Arabica] vocabulum illud ממנו exponendam est, *de illo*, ita ut eo voluerit Deus dicere hominem esse unum tantum in mundo: quia reliquæ creaturæ omnes libero arbitrio carent, quo ille solus fruitur. Ac proinde cum gustaverit fructũ arboris vetitæ, & mortis ea de causa reus factus fuerit, ejiciamus illum ex hortis Edenis, ne attingat arborem *Gen. iii. 22.*

vitæ & vivat. Aben Ezra inquit, nominibus propriis in sacra Scriptura non præfigi הא חידיעה He demonstrativam, quod tamē in voce Adam fit: ratio est, quia in Adamo, notantur omnes ejus posteri, & universa species humana designatur: quia si Adā in creatione rerum libero arbitrio præditus fuit, eodem etiam libero arbitrio, omnes homines ejus posteri præditi sunt. Idem confirmatur multoties in sacris,
ut in Exod. *Non duxit eos Deus*
Exod. *via regionis Pelisteorum, quod*
xiii. *propinqua esset: dicebat enim*
17. *Deus, ne pœniteat hunc populum,*
quum viderint bellum, & rever-
Deut. *tantur in Aegyptum.* Item in
v. 29. Deuteron. *Quis dabit hunc illis*
animum, ut timeant me, & observent praecepta mea, omnibus diebus. Quis dabit, inquit: itaq; actio illa, non pendebat á Deo tanquam necessarius effectus á causa

causa, suprema manans: sed tanquam affectus liber à causa libera, seu voluntate hominis libere agente producendus. Ac proinde etiam Deus, non instar cogentis, sed suadentis ait: *Ecce proposui tibi hodie vitam & bonum, item mortem & malum: id quod ego tibi praecipio hodie, est, ut ames Dominum Deum tuum.* *ibid. xxx. 15.* Et paulo inferius: *Contestor hodie contra vos cœlum & terram, me vitam ac mortem proposuisse tibi, benedictionem & maledictionem: & eligas vitam.* *ibid. xxv. 19.* Vbi itaque Deum hunc in modum videmus consulere hominibus, caussa satis manifesta est, ut credamus hominibus liberum arbitrium inesse. Vbi enim hoc locum non habet ibi frustra consilia adhibentur. Præterea in Lamentat. Ieremiæ legimus, *Ex ore excelsi non prodeunt mala, & bonum. Non prodeunt* *Lam. iii. 38.*

deunt mala, ideſt, malæ actiones, quæ tanquam diſcrepantes á bono, non habent certum ſcopum, ſed mille modis variant: ideoquc dicit; *mala* plurium numero. Per *bonum* ſignificat pura & honeſta opera: quæ quia unum modo ſcopum habent, ideo & uno tantum modo peraguntur. Hæc mala, & bona negat, prodire & ore excelſi: ſed manare è labiis, & voluntate hominis. Idcirco progreditur
ibid. dicens, *praeſcutemur vias noſtras,*
iii. 14. *& perveſtigemus, & revertamur, uſque ad Deum.* Quaſi dicat, agamus pœnitentiam noſtræ male anteactæ vitæ. Quod fruſtra urgetur à propheta, ſi homines careant libero arbitrio. Vnde etiam Eſaias ait, *Illi eligunt vias*
Eſai. *ſuas, & ego eligam in damnis*
lxvi. 3 *eorum.*

Idem etiam omnium Talmudiſtarum

diſtarum placitum , ac ſententia eſt : unde ab illis ſolet dici
מצינו בתורה בנביאים ובכתובים שבדרך שאדם *Macot*
רוצה לילך בה מוליכין אותו id eſt , com- *cap.* 2.
perimus ex Lege, ex Prophetis, ex libris Hagiographis , per quã viam homo velit ambulare, eum illam poſſe ingredi. Dictum autem iſtud probatur ab illis hoc pacto, ac primo quidem ex lege. Vbi enim Deus dixiſſet Bileamo:
Ne pergas cum eis , neque maledi- *Num.*
cas populo: videns tamen illi pro- *xxii.*
poſitum eſſe cum illis vadere, 12.
permiſit illi , ut iret. Deinde ex
prophetis , *Ego Dominus Deus* *Eſai.*
tuus ; docens te ad proficiendum, *xlviii.*
faciens ambulare te, in via ambu- 17.
labis . Quaſi dicat , Ego te ſemper ducam in rectam ſemitã: ſed ſi nolis mihi auſcultare , & malam viam ingredi malis , relinquam illud tuo arbitrio. Denique ex Hagiographis , videli-

Prov. cet ex Proverb. *Si illusores, ipse*
iii. 13. *illudet, & humilibus dat gratiam.*
Vnde liquet Deum odisse pravos
& improbos, ob eorum malitiam: piis vero, & probis gratiam suam largiri. Huc etiam
pertinet illud, quod ab illis dicitur יכול יושב ובטל ת"ל בכל משלח ידיך
id est, an persuadebit sibi homo
otiosus, relinquendam tantum
esse Deo curam negotiorum
suorum? Non; nam dicitur,
Deut. *Quia propter verbum hoc, bene-*
xv. 1. *dicat tibi Dominus Deus tuus in*
omnibus operibus tuis, & in omni
missione manus tuae. Ac proinde
monent nos, ut soliciti simus de
vitando malo; & eligendo bono; quia utrumque in potestate
nostra est. Hinc etiam tritum
est apud illos Proverbium דבר
Kama בעיר כנס רגלך id est, grassante in
cap.6. urbe pestilentia, accinge te itineri, & fuge. Et hoc quidem suaderi

deri credunt ab Esaia his verbis, *Vade popule mi, absconde te in conclavia tua, & claude januam tuam super te: absconde te velut paululum momentum, donec transeat ira.* Sic etiam in Proverbiis bis repetitur, *Calidus vidit malum, & abscondit se, & simplices transgressi sunt, & pœnis affisientur.* Hinc etiam tempore pestis solent Hebræi admodum soliciti, & anxii esse de curanda valetudine, ita ut apud quosdam ea de causa in calumniæ notam incurrant.

Esai. xxxvi 20. *Prov. xxii. 3 & xxvii. 12.*

Id ipsum etiam docuerunt, qui solo lumine naturæ præditi fuerunt, ut Plato, Aristoteles, aliique plures Philosophi Plato inquit, hoc privilegio supra alias omnes creaturas hominem donatum esse, quod prædictus sit libero arbitrio. Deinde videmus omnes homines, diligentia qua

Vide Th. 1. p.q 14 in Tim eo. vid. Greg. Niss. 1, 6.

 possunt

possunt maxima rebus suis incumbere, defendere se adversus inimicos, fugere malum, & consectari bonum, quibuscunque possunt modis. Videmus etiam hominem solum pro ratione & modo agendi, pro fine quem propositum sibi habet & mediisquibus utitur, vel laudari, vel vituperari: & merito. Neque enim infans, aut dormiens, ne dicã stolidus, aut fatuus, si forte damnum alicui inferat, culpari idcirco à nobis solet cum tamen si ex eventu judicandum est, non minus reprehendi mereatur, propter damnum illatum, quam alii homines: sed vero nemo tam demens est, ut tales accuset: unde sequitur, persuasum omnibus esse, nec laudandum, nec arguendum quenquam, nisi qui libero arbitrio, & consulto bene agit, aut delinquit. Adeo ut nullus

nullus ſuaſioni, conſiliis, redargutioni, præmio, aut pœnæ locus ſit, ſi homo non eſt liber in actionibus ſuis.

Quando itaque dicitur in ſacra Scriptura, *Omnia operata eſt Dominus* lemahanehu, *& etiam* Prov.
malum, ad diem malum: vox xvi. 4.
illa explicari poteſt *propter ſuam gloriam*. Quaſi dixiſſet Solomon (juxta illud quod in Midras Tehilim legitur,) omnia opera Domini teſtari, ſeu teſtimonium perhibere de divina perfectione, & potentia. Vel exponi poteſt, per למענהו *propter ſe*, id eſt, juxta R. Moſem, propter ſubſtantiam Dei, ſive voluntatem ejus: illa enim ipſiſſima Dei ſubſtantia, & eſſentia eſt, ut ait Direct III. 13. *Si* vero explicetur *propter ipſum*, referendum eſt ad ipſum opus. Quod ſequitur *& etiam malum ad diem malum*, id

id difficultatem non habet, tantundem enim est, acsi Deus diceret, Deum omnia propter gloriam suam creasse: ac proinde quando punit, & castigat malum, etiam eo facto Deum gloriam suam manifestare, nempe gloriam justitiæ, quæ tum elucet magis in puniendo. Vel quod malim, omnia creavit Deus *propter se*, id est, ut sibi serviant: nam malus sæpe instar flagelli est in manu Dei, quo castigat improbos: qualis fuit Nebucadnesar: quo veluti virga & flagello immorigerum populum suum castigavit.

Moed Katan cap. 3. & Sota cap. 3. Ne autem alicui imponat illud R. Iehudæ dictum, ab ipsa formationis in utero matris hora fixum esse matrimonium huius cum hac vel illa persona, & non alia: notandum est, R. Mosem Ægyptium dicere in commentariis

tariis ſuis ſuper Miſnayot, & in epiſtolis ſuis, matrimonium inter præcepta recenſeri, ac proinde neminem cogi ad hanc vel illam perſonam ſibi matrimonio copulandam: quia ad præceptorum obſervationem præciſe nemo à Deo prædeſtinatur. Adde, quod diſerte in lege præcipiatur, ne eat in bellum, cui aliqua mulier deſponſata eſt, ne forte cadat in prælio, & alteri detur ipſius uxor. At vero ſi hoc connubium fuit præciſe prædeſtinatũ, quomodo alteri, quæ ipſius uxor eſt, poteſt conjungi? Interea tamen ſciendum eſt, ex Cabaliſtarum opinione, in initio mundi paria animarum, id eſt, maris & feminæ [uti in tractatu meo de Reſurrectione mortuorum videre eſt] á Deo condita eſſe : ac proinde aiunt, connubiũ vel præmii, vel pœnæ vicem obtine

obtinnere, pro ratione operum, quæ fecerit homo. *S*i enim homo meretur, & dignus judicatur, obtingit illi suum par, ideſt, ea perſona, qui cum creatus fuit, idque prȩmii loco. *S*in minus, pœnæ loco, tali conjungitur perſonæ, quæ cum ejus moribus non cõvenit: ac proinde quicum ei in rixis, & contentionibus, & id genus aliis miſeriis, aſſiduè fere vivendum eſt. Itaque actu ille pendet à libero hominis arbitrio. Idcirco aiunt, Parentes omnia quandoque vendere, ut ſapienti ac cordatæ perſonæ filius, filiave jungatur. Præterea eum, qui magis reſpicit ad familiam, ex qua virgo, juveniſve ſit oriundus, & magis virtutis ac honeſtatis, quã pulchellæ formæ amore ducitur, ejus connubium proſperari á Deo, & familiam ejus ſobole augeri.

Peſahim c. 13.

augeri. Ergo & hac arbitrii libertatem circa connubium locum habere apparet. Quare illud ſapientis axioma ab ipſo formationis tempore conſtare, quænam perſonæ matrimonio ſint jungendæ ; intelligendum eſt [juxta R. Semuelem Coen, in ſuo libro Tora or,] de conſtellatione ſiderum ; cujus vim, ac potentiam homo operibus ſuis confirmare, aut irritam efficere poteſt ; ut ſuperius etiam diximus.

SECTIO IX.

DE libero hominis arbitrio hactenus egimus, ſequitur ut agamus de concurſu divino cum actionibus noſtris. Extra controverſiam eſt apud Hebræos, Deum concurrere ad actio

actiones honestas, & quidem eas adjuvando ac promovendo Ad eas enim perficiendas homini ope & auxilio Dei indiget. Hinc docent magistri nostri, simulatque homo honestam aliquam actionem proponit sibi facere, mox etiam Deum ad illam actionem volitam concurrere, & sua gratia hominem adjuvare. Hinc est hoc eorum dictum

Ioma cap. 3. בא לטמא פותחין לו בא לטהר מסעיין אותו id est, venit ad polluendum se, aperiunt ei, venit ad mundandũ se, juvant eum. Et aliud, quando loquuntur de pugna, quæ est in homine inter appetitum honesti, & inhonesti, boni & mali,

Kidusin c. 1. ואלמלא הקדוש ברוך הוא עוזו אינו יכול לו id est, nisi Deus adjuvaret, non posset eum vincere, supple malum appetitum. Hæc dicta conveniunt cum eo, quod Hoseas,

Hos. xiii. 9. ait, *corruptela tua Israel: quia in me*

me in auxilio tuo. Eo enim osten-
ditur à propheta, malitiæ fontẽ
in homine esse: omne vero
bonum opus à Deo esse, ut cau-
sa adjutrice. Ac proinde insignis
ille psalmistes petit à Deo. *Ad-* *Psal.*
juva nos Deus salutis noster: *lxxix.*
& Ieremias, *Converte nos Domi-* *Lamẽt*
ne ad te, & convertemur. Item *v.21.*
Salomon, *A Domino gressus viri:* *Prov.*
& homo quomodo inteliget viam *xx.24*
suam? Vnde Rab. M. Sedecairo,
ait אע"פי שיש לו שכל יצטרך עזר אלהי
id est, quamvis homo præditus
sit lumine intellectus, nihilomi-
nus tamen necessario indiget
auxilio divino. Sic etiam alibi,
Cor hominis cogitabit viam suam *ibid.*
& Dominus parabit gressum ejus. *xvi.9.*
Sic etiam David, *A Domino* *Psal.*
gressus hominis disponuntur: sed *xxxvii*
viam ejus volet. Quasi diceret, *23.*
Deus quidem est, qui operi
perfectionem dat: sed etiam
hominis

malus: nam quia in Tarquinio erat animus æstuans libidinibus, & honestatem susque deque habens, reliquit eum Deus sibi ac pravo desiderio suo. At quia in Iosepho erat animus, nil nisi honestum appetens, & virtutem amans, Deus illuminavit mentem ejus, ob oculos ei proponendo turpitudinem facti, injuriam mariti, & heri sui, pœnas infernales, quibus brevis voluptas luenda esset: atque ita earum rerum consideratione juvit eum Deus, quominus tantum flagitium committeret. Hinc Rabbini solent dicere ad illa verba sacræ Scripturæ, *Et non* *Gen.*
audivit ad eã, ut concumberet secum, ut esset cum ea. *39.10* Noluit dormire cum illa, in hoc mundo, ne pœnas daret cum illa, in altero. Quia veri utrumque opus tam Iosephi, quam Tarquinii, à libero volun

voluntatis arbitrio profectum fuit, idcirco illum manet æterna laus & gloria; hunc vero dedecus, & exitium æternum. Præmio enim & pœnę si locum dare velimus, etiam liberum arbitriũ admittamus necesse est. Quare homini officio suo fungenti aderit Deus auxilio, & ope sua: solet enim Deus omnia non nisi laboribus vendere.

Xeno. lib. de dictis & factis Socrat.

SECTIO X.

QVod attinet ad tertium, quod mihi restat probandum: R. Moses Ægyptius existimat hominem quandoque peccatis suis ostium pœnitentiæ sibi occludere posse, si gravia nimirum, multa, & enormia nimis sint; ac proinde solet in confirmationem suæ opinionis allegare

gare illud Eſaiæ, *Impingua cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude: ne forte videat in oculis ſuis, & in auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, et convertatur, et medeatur ei.* Et in Chronicis, *Et ſubſannabant in nuncios Dei, et parvipendebant verba ejus, et illudebant in prophetis ejus: donec aſcenderet furor Domini in populum ejus: donec non eſſet curatio.* Ita ut, juxta R. Moſem Aegyptum, Deus cor Pharaonis induraverit propter peccata ejus. Similiter etiam Sihon, & Og regis Baſan: quippe tanta eorum peccata erant, ut non poſſent pœnitentia expiari: ſed meritis pœnis elui deberent. Iuxta hanc ſententiam, Deus nonnunquam peccatoribus adimit uſum liberi arbitrii. Enimvero propter peccata eorum ſolet eos pravare bonis

Eſaias vi. 10.

2 Chr. xxxvi 16.

Exod. xiv. 4.

bonis omnibus fortunæ, honoribus exuere, vita mulctare, ac proinde etiam subtrahere usum libertatis. Hæc opinio etiam veteribus placuisse videtur, uti

Sectio 13. liquet ex Semot Raba. *S*ed considerratione dignum est, quod in Tanhuma legimus. Tria inquit

Sectio Toledot. autor nobis â Deo concessa esse, quæ in potestate nostra sũt: puta manum, pedes, & os. Tria rursus, quæ in nostra potestate non sunt, nempe, oculos, aures, & odoratum: multa enim videntur, audientur, & olfactu percipiuntur, quæ non usque adeo grata sunt. Eorum autem usum, quæ voluntati nostræ subsunt, Deus ob peccata impedire solet. Ita manum regis Jeroboami Deus exsiccavit, quã extenderat ad prophetam apprehendendum, Bileamum coegit benedicere, cum vellet maledicere,

dicere populo Iſraelitico. Aramæos alia, quam putabant, via deduxit, dicente illis Eliſæo, *Non eſt hæc via, neque iſta civitas, quam quaeritis.* Itaque liquet 2 *Reg.* vi. 19. Deũ multoties impedire actiones hominum: ac proinde etiam poſſe ſubtrahere uſum libertatis. Hinc Abravanel in libro ſuo Nahalat abot, inquit, Quãdo Deus decrevit aliquẽ punire, vel præmio afficere, contra iſtud nihil quidquam cura, vel ſolicitudo ulla poteſt. Id accidiſſe ait in Achitophelis cõſilio evertendo, quia decretum erat punire Abſalonem. Huc pertinent verba illa Prophetæ, *Novi Domine, quod non eſt hominis via ejus, nec viri ambulantis eſt praeparare greſſum ſuum.* Ierme. x. 23. Item, *Et Dominus praeceperat infringere conſilium Achitophel bonum, ut indueret Dominus ſuper Abſalom malum.* 2 Sem. xvii. 14.

Esai. xiv. 28. Item, *Dominus exercituum consuluit, & quis irritabit?* Item, *Prov. xxi. 30* *Non est sapientia, neque intelligentia, nec consilium contra Dominum.* Nam decretum Dei de pœna infligenda, aut præmio aliquẽ adficiendo, humana cura aut industria curari non potest. Sed vero Isac Arama nunquam vult pœnitentiæ fores obserari, quæ adversus Deum commissa ob peccata sunt. Pœnitentiam enim semper Deo gratam acceptamque esse. At eam locum habere negat, quæ fit ob peccata adversus proximum patrata cum vitæ ejus damno. Illa enim non pœnitentia: sed debito supplicio luenda esse asserit. Atque hæc quidem hactenus. Ad me quod attinet, ego sentio, Deum nunquam cogere, aut subtrahere, cuiquam usum liberi arbitrii: sed suaviter semper disponere

media

media prout magis, vel minus appetitui noſtro grata ſunt. Eodem modo, quo primum mobile rapit inferiores orbes; ſed ita ut ſuum tamen cuique proprium motum relinquat. Ex.gr. Deus decreverat, ut populus Iſraelis captivus maneret in Ægypto per aliquot annos, & ut Io eph ſupra fratres ſuos eveheretur in ſummam dignitatem. Neminem hic coegit Deus, ut finem, quem conſtituerat conſequeretur: ſed ſuaviter dumtaxat media diſpoſuit, occurrere faciendo occaſionem, qua Midianiticis mercatoribus Ioſephus venderetur, atque ita in Aegyptum veniret. Similiter Deus conſtituerat inter Aegyptios ſigna edere admirandæ ſuæ potẽtiæ, at quomodo? an indurando cor Pharaonis, ita ut uſum libertatis ei adimeret? Nequa-

quam : ſed rem ita dirigendo & diſponendo, ut regi occaſio daretur per liberum voluntatis ſuæ uſum, aut potius abuſum, animum ſuum obdurandi. Eo ipſo enim, quod videret, Magos ſuos eadem prodigia facere, quæ faciebat Moſes, parvi ea faciebat. Accedebat quod plagas facile averti poſſe videret : ac proinde iis non multum commoveretur : ſed obſtinato animo populum dimittere, recuſaret, donec tandem expergectus filii ſui, & omnium primogenitorum clade, liberã abeundi poteſtatem faceret. Eodem modo intelligendum eſt, quando dicitur, cor Sihon & Og regum Baſan induratum à Deo fuiſſe. Enimvero miſerant Iſraelitæ legatos ad reges Edomitarum, Ammonitarum, ac Moabitarum, rogatum per fines

eorum liberum transitum: quo denegato, aliam viam elegerunt. Rex Sihon, & Og idem illud exspectabant ab Israele; quod cum non fieret, arma pertinaci animo adversus eos sumserunt: sed infeliciter: prœlio enim victi sunt. Occasionem Deus tantum hic dedit illorum contumaciæ: non autem coegit voluntatem eorum, quo eos puniret. Similiter Deus decreverat dividere regnum Salomonicũ. Quomodo id facit? Non cogendo Rohabeamum, sed occasionem tantum ei dando, per consilia juniorum, quibus ille passus se adduci, renuit populo concedere imminutionem vectigalium: atq; ita prophetia Ahiæ completa fuit. Hunc in modum omnia mihi loca exponi posse videntur, quibus videtur indicari, Deum quandoque libertate arbitrii

privare eos,quos punire vult.

Vti enim illi, qui summa rerum potiuntur, norunt omnia industrie, & prudenter adeo disponere, ut ad finem suum intentum peveniant: ita etiã Deus rex cœli & terræ, omnia novit sapienter disponere, absque ulla læsione liberi arbitrii,quo finem suum obtineat, ut hos pro sua gratia præmio, illos pro justitia sua pœna afficiat. Quo pertinet etiam Salomonis dictum, *Pelagi aquarum cor regis in manu*
Prov. *Domini super omne quod voluerit,*
xxi. 1. *inclinabit illud.* Non inquit, cogit: sed inclinat; atque hoc est illud, quod probare propositum nobis erat.

SECTIO

SECTIO XI.

VNa adhuc reſtat difficilis, & ſatis intricata quæſtio, quam pro virili noſtra conabimur expedire Ea hæc eſt, quomodo liberũ hominis arbitrium, & præſcientia divina conciliari poſsint. Hæc quæſtio tam eſt ardua, ut Caietano inexplicabilis, Vaskezio difficillima viſa fuerit: Hebræi eam etiam ſatis difficilem eſſe, uno ore omnes confitentur. Vnde Rab Moſes *Pars 3* Ægyptius in Directorio ſuo, & *cap. 20* tractatu de Pœnitentia (quem *cap. v.* vertit eruditus D. Gerbrandus Anſloot) inquit, Scientia Dei, non eſt aliquod accidens ſubſtantiæ, uti hominum ſcientia eſt: ſed eſt ipſa eſſentia Dei. Quapropter ſicuti homines non poſſunt capere ſubſtantiam, & eſſen

essentiam Dei, juxta illud, *Non*
Exod. xxxiii 28. *videt me homo, & vivit*: Ita etiam
non possunt ingenio suo indagare scientiam divinam, neque percipere modum quo ille res præscit: juxta illud Esaiæ: *Quia*
Esai. lv. 12. *non sunt cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neque viæ meæ, viæ vestrae, &c.* Notum est, homines (inquit Maimonides) libero arbitrio præditos esse: ac Deum ab æterno res omnes scire, plane extra dubium est: sed quomodo res sciat salva voluntatis libertate, illud demum est, super quo controvertitur, & adhuc sub judice lis est. Nam quærere, quo modo res Deus cognoscat, idem est atq; velle scire, quid sit Deus. Sed uti hoc, ita etiam istud sciri, ab homine in hoc seculo non potest. Ab hac Maimonidis sententia non abludit, quod olim Bias respondit, interrogatus quo

pacto

pacto res humanæ, atque actiones nostræ à Deo cognoscantur. Deum esse, inquit, certum est, cujus providentiæ circa omnia versatur: similiter etiam nos libere agere indubium est, sed quomodo opera, & actiones nostras Deus intelligat ac sciat, hoc vero conjectando divinare: sed explicare solide non possumus.

Rabbi Abraham bar David, æmulus Maimonidis, in tractatu suo Asagot, Maimonidem quæstionem quidem movisse ait, sed soluisse negat; ac proinde satius futurũ fuisse putat, si ab eo mota non fuisset. Quare suam opinionem de modo præscientiæ divinæ proferens ait: Astrologos ex constellatione, & intuitu siderum, multa per conjecturam posse prædicere: non dispari etiam modo Deum posse præ-

ſcire, quæ hominibus eventura ſunt, ex ſiderum curſu: nam qualem habituri ſunt, ipſe decrevit. At cum homo vim ſiderum evitare poſſit bene, vel male, prudenter, aut imprudenter agendo: addit, Deum etiam illam voluntatis actum, ſive motum præſcire, ac proinde ad quam partem ſe flexura ſit voluntas, ut hoc aut illud agat. Quæ tamen præſcientia, neminem [juxta illum] neceſſitat aut cogit in operibus ſuis. Sed ſi dicendum eſt, id quod res eſt, non videtur hoc pacto ſatisfieri propoſitæ quæſtioni, ut etiam ipſi autori viſum eſt.

Quare proxime ad veritatem accedere mihi videtur, quod R. Iſac bar Seſat in libris ſuis Conſultationum ſtatuere legimus. Deus inquit, ab æterno diſpoſuit totius mundi negotia,

&

& divina ſua ſapientia, ac perſpicacia vidit omnes effectus, qui in tempore futuri eſſent: qui licet pendeant [loquor enim de actionibus humanis] á libero hominis arbitrio, ut fiant aut non fiant: nihilominus tamen Deus certo & infallibiliter eos prævidit, ac præſcivit. Neque tamen ideo quicquam in tempore facit homo, quia Deus ea facturum præſcivit: ſed è contrario, quia homo in tempore hoc vel illud facit, aut operatur, ideo Deus ab ęterno illud ſcivit. Hunc in modum loquutus eſt etiam R. Iſac Arama, & pariter Iuſtinus Martyr, Origenes, Damaſcenus, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus & Cy- *Aqueda Saar 26 Iuſt. M. in expo.*

qq. Chath. q. 48. Orig. l. 7. in ep. ad Rom. c. 8. Damac. dial. contr. Manic. Chryſ. ho. 60. in Math. Hier. in 16. Eſai. Aug. 5. de Civit. Dei c. 10. Cyril. l. 9. in Ioan. c. 10.

rillus. Et hoc quidem mihi sufficere videtur ad solutionem hujus quæstionis. Sic enim se res habet, homo in altiore turri, vel monte constitutus, si videat hunc à Meridie ad Septentrionem; illum contraria via se moventem à Septentrione in Austrum, illo intuitu suo nullam actioni seu motui eorum libero necessitatem infert. Sic & hic. Quod enim ibi est distantia locorum, illud hic in Deo est æternitas seculorum. Ab ista enim æternitate res omnes scivit, non aliter ac si in tempore fierent. Rem alio simili illustremus: ponamus circulum ex cujus centro aliquot lineæ ducantur in circumferentiam: respectu hujus circumferentiæ potest considerari prius, & posterius, sive linearum inter se distantia; quæ ratione centri nulla est: ita etiam respectu

reſpectu Dei non eſt prius, & poſterius tempus, ſeu præteritum & futurum, ſed omnia illi præſentia ſunt. Atque hoc eſt illud quod Mercurius Trimegiſtus voluiſſe mihi videtur, quando comparat, Deum centro, & circumferentiæ, reſpectu immenſæ ejus præſcientiæ. Quod ſi propius etiam conſideremus prædicta verba Maimonides, quando ait cognitionem noſtram diſſimilem eſſe ſcientiæ divinæ: eo nihil aliud eum denotare voluiſſe apparebit, quã Deum excellentiore modo, quã nos homines ſcire: nam Deus æque videt præterita & futura, atque præſentia: cum nos tantum præſentia cernimus. Ac proinde etiam dicit, difficile eſſe intellectui humano comprehendere modum, quo Deus res præſciat; nam ſcientia ab eſſentia

Dei reipsa distingui non potest. Atque hæc communis est Hebræorum sententia super hac re, quam sequuntur, & suo calculo
Fol. approbant R. Baruch bar Iaciarh
157. in Kehilat Iahacob, R. Meser de
lib.3. Leon in Tehila David, R. Abra-
c. 29. hã Salom in Neve Salom. Rabbi
Lib. Moses Albelda in Daras Moseh,
12. R. Semuel Carça in suo Mecor
tract.2 Haim, R. Moses Almosninus in
cap.1. Anhagat a-Haim, R. Semuel de
2. 3. Vzeda in Midras Semuel, R.
Sect. Ishac Lebet a-Levi, R. Ioseph
Rehe. Hivan in Mile de-Abot, & plu-
Sect. res alii.
miques
lib.2,

cap.1.

SECTIO XII.

Perek
3. SEd quia autoritas sacræ Scri-
ibid. pturæ, omni ratione & expe-
ibid. rientia major est; placet mihi vice coronidis ad comprobationem

nem nostræ sententiæ adducere verba Domini, quibus circa finem vitæ Mosem servum suum allocutus est. *Ecce tu occumbens cum patribus tuis, & surget populus iste, & fornicabitur post Deos alienae terrae quam ipse intrans illuc in interius ejus, & derelinquet me, &c.* Manifestum hic est præscientiæ divinæ exemplum. Et ut hujus rei memoria nunquam ex animis populi deleretur, inquit, *Scribite vobis canticum istud, & doce illud filios Israel: pone illud in ore illorum, ut sit mihi canticum istud in testem in filios Israel, quod introducam eum in humum quam juravi, &c. & convertet se ad deos alienos, & serviet eis.* Præscientiam autem divinam, non pugnare cum libero voluntatis nostræ arbitrio, neque ullam ei necessitatem imponere, ex eo liquet, quod dicat: *Nam novi arbitrium*

Deut. xxxi. 16.

bitrium ejus, quod ipse faciens hodie antequam introducam eum in terram quam juravi. Ecce quomodo præscientia Dei, & libertas voluntatis humanæ optime conspirent. Quod autem voluntas non necessitetur, apparet ex pœnis, quibus peccator plectitur, juxta illud, *veniunt ei mala multa, &c.* Celebris etiam hac de re apud Rabbinos sententia est, הכל צפוי והרשות נתונה id est, omnia visa, & licentia data est. Atque hæc hactenus.

Pirq. Abot cap. 3.

Nunc compendio dicam, de quibu[illegible] hoc tractatu egimus. I. Ostendimus, vitæ nostræ aliquem terminum esse.

II. Eum considerari posse vel juxta temperamentum corporis, vel constellationem siderum, prout hoc vel illo modo in corpora agant; vel juxta alios in genere, ratione præsentis, & superioris seculi.

III. Terminum vitæ esse mobilem.

IV. Vitam hominis posse abbreviari variis modis; puta, providentia Dei, natura, & casu.

V. Vitam posse prolongari virtute, sive studio & meditatione legis divinæ, & observatione ejusdem: quorum unum ad mentem, & intellectum, seu theoriam; alterum ad voluntatem seu praxim pertinet.

VI. Libere hominem posse uti remediis, & medicamentis, cum ægrotat.

VII. Denique quamvis Deus prȩsciat futura contingentia: nihilominus tamen arbitrio cujusque relictum esse bene vel male agere. Quæ omnia, non pro rei præstantia late, & fuse: sed breviter tantum perstrinximus, compendio operis studentes.

At

At nunc me converto ad te, amplissime ac doctissime D. Beverovici: ante omnia gratias ago tibi, quod tuis literis longe humanissimis, occasionem mihi & ansam dederis ad tractatum hunc elucubrandum. Quicquid hic á me prę stitum est, id omne hinc fluxit. Tu pro tua humani tate excusatum me habe, siquid minus erudite, aut eleganter dixerim. Video equidem tibi, inter tot curas; & labores, quos tibi facessit publici muneris tui dignitas, Musas ingratas non esse: qua in re non mediocrem laudem mereris. Enimvero non Christianorum modo dogmata, qui Christianus es explorata habes: sed etiam Rabbinorum placita audire cupis. In eo non dissimilis magni ingenii viro Pico Mirandulæ; qui licet eruditione omnigena præditus, nullam

nullam tamen ab animo ſuo quietem impetrare poterat, niſi Hebraicæ etiam Kabalæ notitiam aliquam ſibi compararet: ſentiens, nimis anguſti pectoris eſſe domeſtica tantum, & non etiam externa indagando velle aſſequi. Ita etiam ego ſemper affectus fui, ut â nemine non lubenter aliquid addiſcerem: nam ab ipſa infantia, uſque ad hunc xxxv. ætatis annum impenſe admodum literas amavi; neque defuere mihi ejuſmodi viri (liceat mihi eſſe *Suffeno*) ex quorum inſtitutione potuerim evadere doctior. At nunc quaſi mei oblitus, mercaturam exerceo: quæ res, ut plena laboris, ac moleſtiarum eſt, ita etiam magnam mihi adfert jacturam tẽporis iſtius quod ſtudiis alioquin impenderẽ. Sed quid faciã clariſſime Beverovici? qui nec opibus

in Apologia

opibus Crœsus, nec animo Thersites sum? Etenim parens meus Ioseph bẽ Israel p.m. omnibus suis facultatibus privatus ab Inquisitione Hispanica, quia religione Judæus erat, cum ter prius tormentis crudelibus subjectis fuisset, atque hinc corporis amisisset bonã valetudinem, clanculum cum matre Rachele Soeira, non obscuro genere nata, in has provincias se contulit, tanquam libertatis & conscientiæ asylũ: ubi á R. Isac Usiel institutus sum in literis Hebraicis, ac post mortem ejus in locum successi. Tandem etiam duxi uxorem Rachelem ex familia Abravanelis, quam á Davide oriundam esse autumant Hebræi, & ex ea auctus sum duobus filiis Iosepho, & Samuele, & filia, cui nomen est Gratia. Quia vero stipendia nostræ Synagogæ non admodum sunt lu-

culenta

culenta, fratrem Ephraim Soeiro in Brasiliam misi, si forte per eum ex mercatura melior quædam fortunæ facula mihi illucescat, ut liberius divinis literis incumbere queam. Quod si contingat, spero quædam me in lucem daturum, unde otii mei ratio constare possit: præsertim in Hebræis, & Arabicis. Sed interea tamen non quiesco occupatus tum rebus domesticis, tum negotiis Synagogæ, & Typographię meę Siquid ad animi relaxationem, temporis supersit, id totũ amicis impendo. His vale pręstantissime vir D. Beverovici, Deus te diu incolumem servet, quo de pluribus tua opera, & studiis, bene mereri possis. Amstelodami, Kalend. Martii CIↃ DC XXXIX.

FINIS.

INDEX

LOCORVM SACRÆ Scripturæ, qui in hoc libro explicantur.

GENESIS.

ibid.

 cor

Iezechiel.

Hoseæ.

Hoseæ.

Ioel.

Hamos.

Higgæi.

M *ibid*.

Proverbiorum.

Iob.

ibid.

E R R A T A emendanda.

Fol. 7, linea 1, inde, lege unde, f. 23, l. 8, lementis lege elementis. ibidem l. 13, jam, dele. f. 36, l. 5, opimam, lege animam. f. 45 l. 10. Selamoh, lege Selomoh fol. 47, l. 7, aliam dele. f. 50, l. 2, filius lege filium, f. 51, l. 16, erudentiora, lege evidentiora, f. 52, l. 18, quos, adde incendium, f. 55 l. 7, causa, lege mors, f. 59, l. 23, ejus, lege meæ, fol. 59, l. 13, obstruncat, lege obtruncat, ibid. l. 18 induãtur, lege indicatur, f. 65 l. 20, hunc, adde non, f. 66, l. 14, cibo lege cibos, f. 68 l. 13, sanctitati lege sanitati, fol. 69, l. 17, de dele, f. 71, l. 15, quo lege suo, ibid. l. 19, quod lege quum, ibid. l. 20, dici, lege tui, f. 72, l. 2, ex lege in f. 82, l. 3, afficit, lege efficit, f. 94, l. 5, dentum, lege dentium, ibid. l. 10, mulierem lege muliere, f. 97 l. 8, quã adde diætã, f. 99, l. 9, esse lege

lege eſt, f.107, lin.3, valetudinis adde cauſa, fol. 103, l. 8, reddant lege reddunt, fol.109. l.4. ſolus lege ſolummodo f.110.l.11.quod lege quid, f 111, l 9, evertit lege avertit. f.117.l.10. ſana lege ſani f.121, l. 16 multis lege multus f.122.l. 12. figmentura, lege figmentum. f.126, l.2 dividetur leg. dividitur. fol.127, l.25, ab dele. f.128, lin 1. quia, lege qua, fol. 129, lin.5, ſenſit, adde, quando quidem Romanorum inſignia fuerunt aquila, ibidem l. 16 delecta lege deleta, ibidem l. 21, ibi lege ſibi, f. 130, l.4, cum lege præ, f.131, l.1, illud dele, f. 132, l.18, plerantibus lege plorantibus, fol. 133 l.3, accumbes lege occumbes, f. 134, l.10, & adde in ibidem l.15, hac lege hæc, f.135, l.3, alio lege aliud, f.138, l 7, quos lege quas. ibidem l. 10, derelinquit lege dereliquit, ibidem l.17

aliis

aliis lege alii, f. 141, l. 9 edita lege edicta, f. 148, l. 21, Quorum lege Quin, f. 150, l. 22, Qui lege quæ, f 151 l. 23, aliquid lege aliquod, f. 155, l. 23, enim lege eum, f. 156 l. 18, æneum lege ænea, f 157, l. 5 ferrum lege ferrea, fol. 158, l. 14, non, dele. ibidem l. 15, tantum adde non, f. 159 l. 7, deserto adde egit septẽ f, 164. l. 2 in dele f 169 l. 10 omnibus lege omnis, ibidem l 16 ex lege eos, ibid l. 17 erunt lege erant fol. 172 l. 2 anni lege annos f. 187, l 19 quod lege quid fol. 188 l. 19 elicunt lege dicunt f 190 l. 6 similiter adde de. f. 191 l 12 in quibusdam exemplaribus oculose tanquam, lege oculo sc. tanquam visus f 192 l 17 iis, adde in fol 193 lin. 5 consiliatore lege Conciliatore fol. 195 l 11 eruditio lege conditio. f. 19. l. 16 non, adde est. ibidem l 17 fuit adde ut, ibid linea 18 prædictus lege præditus

fol.

fol. 197 l. 9 unins lege unus f. 199 l 2 affectus lege effectus fol. 200 l. 11 & lege ex f. 203 l. 22 prædictus lege prçditus f. 205 l. 5 operata lege opetatus f. 206 l. 2 Deus lege Selomoh f. 208 l. 1 obtinnere lege obtinere ibidem l. 13 actu lege actus f. 209 l. 1 hac lege hic f. 210 l. 3 homini lege homo fol. 213 l. 23 veri lege vero f. 215 l. 24 pravare lege privare. fol. 216 l. 11 manum lege manus. ibidem l. 15 audientur lege audiuntur.

ἜΠΟΣ ΝΟΗΤΙΚΌΝ,

SIVE

CARMEN INTELLECTUALE,

Autore

Dom. JACOB ROSALES,

Hebræo, Mathematico, Philosopho, & Medicinæ Doctore.

Amplissimo, ac Clarissimo viro, Domino

IOHANNI BEVEROVICIO,

Senatori, ac Medico Dordrechtano.

C*Vm in laudem nostri absolutæ eruditionis Sapientis, viri equidem de re litteraria apprimè meriti,* Menasse ben Israel, *panegyricus nobis esset scribendus; qui initio libri de Termino vitæ, ab eo elaboratissimè conscripti, apponeretur; visum*

N *fuit*

fuit de eo argumento, aliquid Laconicè, & si poëticè, etiam adjungere. Sed cui Heroïem parvulus iste labor dicandus foret, minime dubitaveram, quoniam is eras, (summe vir famâque omnibus notissime) qui primus hunc lapidem moveris, & materiam ingeniis nobilissimam præbueris: Præcipuè cum, (ut interim alteras tuas conticeam virtutes) vir undique doctissimus, & nostræ artis præstantissimus alumnus existas. Quapropter Epodas nostras, plus fortasse in recessu habentes quam fronte promittunt, benignè accipias precor: Quod si quæ in legendo offenderint, quippe dicta contra communem sententiam, non eo allinas atrum transverso calamo signum, donec ipsarum demonstratam certitudinem, in nostris exercitationibus, brevì, si Deo placuerit, typis excudendis, latè, fusèque comprobatam inveneris: Interea pancraticè vale (vir eximie;) & me hominem tui amantissimum, parvulo munere amicitiæ tuæ avidissimum, rogo, ut redamare digneris. Hamburgi & Musæo nostro. 1. die Augusti. Ann. 1639.

Tibi addictissimus

Iacob Rosales Hebræus
Mathem. Philos. & Medic. Doctor.

Dom. JACOB ROSALES *Hebræi, Mathematici Philosophi, & Medicinæ Doctoris.*

Ἔπος νοητικὸν,

Sive carmen intellectuale.

Sectio I.

PRimo homini quondam Sophiæ penetralia magnæ
Omnipotens aperit; ſcireque cunctà dedit:
Edocuit Deus Ipſe hominem genus omne ſciendi,
Et tanto exornat pectora noſtra bono;
Ut ſcitum omne ſacrum, ſic tandem è fonte ſciendi
Manavit ſacro, quo quaſi divus homo eſt;
Non ex ſe didicit: quid enim mortale valeret?
Non niſi divinum, vel ſibi, tale parit:
Ex rectore poli producta ſcientia; rerum
Cauſas, atque vices noſcier Ipſe dedit:
Corpoream æternus vitã intellectus agebat,
Abſque labore tenens munera tanta Dei.
Hac luce efficitur corpus mortale, ſciendo,
Immortale, datum dum ſibi pergit opus.
Sicque videbantur mixta inferiora ſupernis;
Ingenium, ſenſus, abdita menſque viget:
Donec ſcire volens exſe, exaudire magiſtrum

Impatiens, ſapere & Numinis inſtar avens;
Infuſum aſpernit munus; Deus uſque videri
Ipſe ſtudet Sophiâ, ſcireque Marte ſuo.
Aſt nova peccantem en capit ignorantia; crimen
Abſtulit ex oculis conſcia dona ſuis.
Efficitur nudus rerum, qui cuncta ſciendo
Ante, ex doctrinâ, ut ſyndone, comptus erat.
Jamque animi victum, & veſtes, (quibus abſque ferinis
Moribus, ut campi bellua, fata gerit,)
Sudore aſſiduo, ſtudio, atque laboribus altis
Quærit, & inquirit, ſed nihil inde capit:
Vel nihil aſſequitur, vel fuſa inventa maligno
Condidit ingenio, futile mentis opus.
Hinc cœli, & terræ, magnâ ruit inclyta ſtrage
Cognitio; Sophiæ hinc limina clauſa viris.
Hinc viget in mundo pro rebus Opinio; proque
Virtutum appoſito, dogmata falſa, loco.
Hic noſtræ cunctos comprehendit originis error;
Unicuique, ſibi cognita ſola placent;
Sic tenebræ invaſêre orbem; ſic lucis olympi
Porta ſolo clauſa eſt, noxque timenda ruit.
Inde meũ, atque tuum ſtudii, turbare ſciendi,
Et morum incepit tunc violare decus:
Dum vult quiſque ſibi ſapere, ignorantia regnat;

Hæc

Hæc hominum proprio naſcitur arbitrio;
Dum vult quiſque ſibi virtutibus indere nomen,
Fallitur;& vitium pullulat inde malum:
Non eſt,qui agnoſcat verum, antiſophiſmate mundus
Obruitur falſo; his nec via certa datur:
Nulla quies menti. nam nuſquam adipiſcitur illam:
Qui ſapiat vere nomina, nullus adeſt.
Degenerât homines in mente carentia bruta,
Externa ingenii lumina dum renuunt:
Hi tenebras pro luce tenent; hique æthera dicunt
Noctem; quodque malum eſt, aſſerit ille, bonum.
Undique confuſè procedunt omnia;nuſquam
Lux veri exiſtit;frauſque gubernat ouans:
Hinc ſectæ venêre omnes ſub Palladis umbrâ,
Quæ ſe interficiunt dogmate, & enſe ſuo.
Hincque ſuperſtitio,& fidei ſimulatio fictæ,
Auſa, loco *Domini*, ponere turpe Nihil;
Externumque Dei cultum,& libamina ſancta
Impia deſcribit mens, ſine jure, viri:
Sicque profanarunt, ſacras cumulantia menſas,
Unguibus Harpyiæ vina, dapeſque, feris;
Sicque bonum, & verum tandem deperditur; unde
Imperat adverſi circulus ecce mali.

Ast inter tot cæca hominum, noctisque profundæ
Damna, quibus mundus volvitur esse chaos;
Millibus è totis solus vir præstitit unus
Abrahamus, magnus corde, & amore Dei;
Qui menti haud fidens propriæ, exaudire docentem
Gaudet ab antiquâ traditione Semum;
Nam postquam infusâ amisit virtute, sciendi
Donum, sub pomi crimine, primus homo;
Indumenta animæ, natos, docuitque nepotes,
Quæ quondã ex summi Numinis ore capit;
Qui nati pietate valent, dictata sequuntur;
Quique mali ex proprio discere corde petunt:
Hinc est, quod, certum quæcunque ars dîa sciendi,
Voce datâ existit, traditione viget;
Prudentes, sanctique viri sincera sequuntur
Tradita, & internâ religione colunt;
Ast animo elati, scioli, per cuncta Gigantes
Se reputant, nec eis hæc date dona valent:
Omnia librari propriâ ratione trahuntur;
Sed fœdant habitum, quo datur omne, novum;
Dumque his concutitur mundus, regnantque nocentes,
Unicus ecce Semus tradita verba docet;

Huncque

Huncque nepos audit, primusque ad publica duxit
Lumina justitiam, magnus & ille fide;
Dicitur unde pater populorum, omnisque magister
Artis, & omnimodâ cognitione potens:
Sed major virtute micat; parensque Tonanti,
Sic quoque concilii dictus amore sui:
Ishakus hoc natus, tenet hoc & natus Jâcob,
Ille patris famâ, hic nomine dignus avi:
Quapropter benedixit eis, prolique futuræ,
Æternâque replet nobilitate Deus;
Scilicet ignorans maledicti ut stigmatis error
Auferri à populo, quem legit Ipse, queat;
Sic hominum Omnipotens sortem miseratus iniquam,
Luce parat, lucis jam reparare malum;
Veraque cernatur regnare scientia terris,
Ganhéden pateat conscia porta, cupit.

III.

Ergo Cœlicolûm magnâ stipante coronâ,
Terrâque ad Domini visa tremente sui;
Descendit Genitor mundi, montique propinquat;
Quo statuit tædas concelebrare suas:
Ex alio occurrit populus glomeratus in unum,
Anticipatque Deum, cum, Faciemus, ait:
Queis commota movet cupidi præcordia zeli
Dulcis amor populi, sub sua corda Dei;

Circuncîſa patrum ſoboles,ſeu Virgo decôra,
Conſpicuo electi ſtabat honore gradus:
Regna Sacerdotum, Sanctorumque agmina, parſque
Rectoris dicta,& munera ſumma poli,
Electoratum divini adipiſcitur ignis,
Hæres,namque hæret fædere, ſola Dei,
Auditumque addens, & verbis credere firmans
Divinis, Sponſo tradita Sponſa ſuo eſt;
O quam pulchra (refert) mihi ſunt tua,ſuavis amica,
Ubera! quam gratũ velle, tuoſque ſinus!
Quam dilecta manes æterno in pectore! quamque
Grata viro conjux ſemper amata tuo!
Te thalamo junxi per tot mea ſæcla; timère
Deſine: namque manẽt præmia multa tibi:
Me nunquam inſpicies aliena in brachia ferri;
Haud noſtri accipiet altera, jura thori:
Tu mihi ſemper eris populus; Deus Ipſe tibique,
Reddant hæc homines mutua pactaDeos;
Et cape jam noſtri precij ſponſalia; ſignum,
Quo, populi æterno nector amore tui;
Ecce ſcientifico prægnantẽ lumine Legem,
Quæ Sophiæ, atque horti pandere clauſtra queat,
E cœlo adduxi mecum; me cernite in illâ,

Nam

Nam præcepta tenent, quæ mihi sola placent:
Hæc lignum est vitæ æternæ, fructusque scientis,
Quo bonus, & sapiens dicitur omnis homo:
Hæc est, quæ absterget peccatum ab origine vestrum,
Restaurans hominem, concilians que Deo:
Hæc est, ut comprehensa loquar, mea sancta voluntas;
Anne voluntati robora pauca Dei?
Quidne repugnabit, quin justi facta sequatur,
Si cupit Omnipotens, Sanctificatque Deus:
Ergo cape æternam legem, quæ pignus amoris
Sit nostri, & quicum in sæcula vivus eris:
Gens dilecta Deo, genuit quã Sanctus Jâcob,
Despotico accepit jura ferenda jugo.
Hinc servus, natusque simul, seu natus amore
Ducitur, ut fidus servus amore timet.

IV.

Binæ insculpuntur Tabulæ, scribitque volumen
Divini interpres, scriba, propheta, chori:
Sed cum perdiderit cupido esu, ausuque sciendi,
Os hominis, fusè scire, docente Deo;
Ut tandem subeat merita, infinita sciendi,
Lex ori, scriptæ vox, quasi lingua, datur:
Lex oralis adest, oris quæ crimina soluat,

Quæ corpus reddat Mentis ubique capax.
Hæc est, Scripturæ, quæ nobis explicat alta
Secreta; & factis sensa profunda docet;
Hâc vitam assumit vitarum litera; fitque
Spiritus, ut propriè jam queat ipsa loqui:
Hæc est, eloquium cœli, quod credidit olim
Omnipotens populo, & tradidit ore suo:
Hic sapor est rerum, quem victu perdidit Adam;
Quem nunc restaurant tradita verba cibis;
Hic cibus, hic sapor, hæc nobis lux denique mentem
Perlustrat, doctis restituitque Sophis;
Hæc est Traditio, quâ nata scientia mundo,
Qua vis naturæ sentit, & arte sapit.

V.

Non equidem evertit rationem, ast perficit illam,
Ut valeat, propriis viribus addit opem.
Nec ratio, sensusque probant contraria, namque
Hâc debent, veri ut cardine, luce regi;
Et quæ secreta, & rerum occultàta latêbris,
Naturæ haud fuerant cognita rite oculis;
Os legis de more docens sic explicat altè,
Ut mentem, & sensus pace, fideque liget;
Principium mundi, nunquam quod mente repertum est,
Lex docet, ex templo mens quoque dicta probat;

Appro-

Approbat expertus tanto jam lumine clarus;
Cætera naturæ sic tibi lege patent;

VI.

Hæc cuncta Omnipotens, & plena prophetica rerum
Notitiis, populo tradit habenda suo:
Namque prophetiæ, ut morum Sanctissima vestis,
Sic Sophia ante fuit cognitione potens;
Præterea accedens verbum divinitus afflans;
Tota scientifero lumine corda replet;
Doctrinâ regnare petit; fitque undique prudens
Rex Salomon, *Domini* dum sibi verba sonant;
Cumque his agnovit naturæ arcana latentis:
Namque datū cœli, continet omne, sciens.
Inde Sacri vates dum dîa, humana sciebant
Alta quoque. Hæc illis sub sua jura jacent.
Ex his cœlestes, omnisque ex ordine rerum
Fundamenta artis, quilibet hausit Heber;
Hæc nati natorum, & qui nascuntur ab ipsis,
Jure, caballæâ traditione tenent:
Hæc primùm Ægyptum Sancti docuêre Parentes;
Principium hoc illi scire, caputque dedit:
Judæis hausêre alii potiora magistris;
Terra sub hoc omnis semine docta fuit:
Vana quoque æternas bibit, ex hoc fonte, sciendi

Græcia, quas proprias turbida fecit, aquas:
Altera namque fuit, quam passa scientia, clades,
Verba magistrorum dum sibi quisque rogat:
Hoc faciunt Græci; Sophiamque erroribus altis
Defædare ausi, ut nomen ad Astra ferant;
Autores primos prorsus delère solebant,
Verbaque mentitis jungere sancta suis;
O facinus! quid non mortalia pectora cogis
Famæ sacra fames, ambitioque sui!
Nuncque Gigantéos sciolos exempla sequuntur;
Quam facilè, alterius crimina, cuique sequi, est!
Non sic sub populo, qui cœli Numen adorat,
Evenit; à patribus discere solus amat:
Grande nefas reputat, si quid mutetur in ipsis,
Traditio in cunctis immaculata manet:
Quæque animæ quondam *Domino* promissa dederunt,
Observant, legis dum sibi pacta ferit:
Quapropter meruêre omnes, cælestia nosse,
Postque sub humano corpore, scire sua.

VII.

Nec mirùm: nam fixa animæ Deus indidit olim
Rerum astra, & species, queis sibi viua fuit:

Si nihil

Si nihil inſcriptum foret, immortale ſubire
Haud poterat donum, à corpore corda tenens;
Nonne vides hominis multus dum membra Lyæus
Occupat, ignotũ ex mente referre ſonum?
Delirumque ſimul Sophiæ præcepta ſupernæ
Nunquam audita ſibi, & mira futura loqui?
Quidnam hæc oſtendunt, niſi quod mens intus habebat
Rerum harum ſpecies, nec ſibi inanis erat?
Ecce lupum fugit agnellus, nec viderat unquam:
Aſt aderat ſpecies inſita, eoque timet;
Spiritus humanus bruto inferiora tenebit?
Principium externum cognitionis erit?
Nullumne internum? eſt equidem; nam fertur imago
Eſſe Dei, exactè qui ſine mole ſapit:
Obtinet internâ ſpecies ab origine fixas,
Sed tacet in mundo cuncta, jubente Deo
Dum ſubiit corpus, non illo, aſt crimine pomi
Perdidit infuſum ſcire, manetque rudis;
Utque opus excutiat, ſitque intellectus in actu,
Indiget ingenii fulcra docente ſui;
Indiget æthereâ, quæ mentem luce coruſcet,
Totque

Totque inter noſcat ſpectra, tenere viam;
(Indiguit,nam labe malum ſit corpus ab eſu,
Appetere aſt vetitum ſub vice carnis ineſt;)
Hoc facit,hoc præſtat domuique, animæque viciſſim
Lex,& traditio; format utrumque ſibi:
Qui veri, atque boni, (ſpecie virtutis,& umbrâ
Nam fallit vitium,) perdocet illa modum:
Inſuper ut corpus ſtudio, mentiſque labore,
Se linquens, totum, Spiritus alter, agat:
Sic namque æternum, ſeu forma videbitur ipſa,
Illius auxilio, hæc æthere lapſa venit;
Ingenio præſtant, nigrâ qui bile redundant,
Spiritus his ſacri lumina vatis habet;
Sed cauſas natura docet;quia pauca ciborum,
Paucum animæ,multum in mente requirit opus.
Corpus item parvo aſſuetum, convertitur omne
In mentem, innatâ quæ vice deinde micat;
His ſtudia accedunt, & qui labor omnia vincit,
Ut diſcat formæ terra ſub-eſſe ſuæ:
Ambo intelligere, ut tandem ſit vita duorum,
Suppoſitum, ac actus, jam ſimul unus adeſt.

Unus

Unus homo vivit, qui formâ, & corpore constat,
Unus homo sentit, cordeque docta sapit,
Hoc sub mole sequi, supero descendit olympo
Forma, ut eò redeat conditus unus homo;
Sic mortale valet reddi, quod cernere tecum est,
Æternum, corpus spiritus utque manet;
Perficitur citiùs quidam, corrumpitur alter
Juxta subjecti facta, modumque sui.

VIII.

Virtutes, animique habitus, producere vitam
Corpoream, ut talem fecerat ipse, queunt;
Vivere, vel sapere, (hoc rerum sine corpore vita est,)
Quodlibet in corpus spiritus intus agit;
Illud temperiem servat, cum laude, beatam,
Si formæ inservit, per bona facta, suæ;
Obruitur vitiis corpus, jam signa salutis
Amissæ existunt, binaque damna feret;
Haud homini invigilat; crescet pinguedine corpus,
Athletæque aderunt certa pericla sui;
Cumque intellectu, vitæ jam vincula perdet;
(Forma hujus, memora, quod sapere ante fuit,)
Quapropter Lex sancta potest producere vitam,

Nam

Nam ſapere adducens, eſt quoque vita, ſalus.
Præterea vita eſt *Domini* benedictio, quicum
Stat res; hâc creſcit, promit & eſſe ſibi:
Dixit, & ecce orbis; voluit benedicere, vivunt
Ecce creaturæ, ſemina perque manent;
Sed noſtri præcepta Dei, ſibi dicta vocantur
Sat benè; vitarum munera cuncta tenent;
Stamina vivendi ſunt naturalia, vitam
Obſervata trahunt, ſed violata negant.

IX.

T*Erminus* unde homini vitæ, vel denique nulli
Præfixus, factis vel moderandus erit;
Implet menſuram, ſibi quam natura requirit,
Dum mala corrumpunt, perficiuntue bona;
Aſt hæc naturæ, vel morum facta vocantur,
Hæc animæ vitam, corporis illa regunt:
Attamen inter eos vis mutua ſæpe refulget,
Alter in alterius concutit acta, vices,
Pondere librantur, numeroque ea crimina certo,
Quæ formam, aut corpus perdere, jure valent:
Certa Hæmorrhæis olim numerantur iniquis,
Queis *Domini* fiſco ſubdita regna forent:
Rebus

Rebus in externis quicquid pro robore agentis,
Prove ſtatu paſſi, vel magè, ſituè minus;
Vivere non aliter memora; nam criminis vna
Vis magni exercet fata timenda necis;
Et contra virtutis opus producet in ævum
Fundamenta eſſe, & vivere ſæcla dabit;
Sed reſpectu hominis, (namque illi cuncta geruntur,)
Talia quis noſcet, vel merita ipſa ſciet?
Cum vix temperiem, aut cauſas per ſigna patentes
Vitæ, ſat doctus non ita ſcire queat.

X.

Certum equidem, (nunc magna cano,) quod origine forma
Divinâ, ante fuit corpore nata prius;
Deſcendenſque Deo, partes tranſire coruſcas
Juſſa, quibus præſunt *Nomina Sancta* polis:
Induit hîc veſtem varii, ſacrique coloris
Virtutis, terræ qua venit ipſa tegi:
Cœleſtisque globus, cœlo qui pendet ab illo,
Tali diſponit munere, corpus iners;
Hinc forte exiſtit non uno jure beandos
Omnes eſſe, ſuos ſed ſibi habere modos:
Haud eſt diſpoſitum vel idem, aut unum: Ipſe beatos
Nam *Deus* in variis, omnibus eſſe dedit.
Factum hominem mundus vitales ducit ad auras;

An

An ideo dices talia fata viris?
Tunc locus est operi, sed quod sua cuique voluntas
Arbitrio sumat, velque recuset iners:
Et si corporeïs, quæ adsunt, dominarier astris
Æthereum nequeat, forma coloris abit;
Donum insigne Dei deperditur: omine tristi
Amittet proprii vincula sancta poli:
Qui virtute valent, vitæ indumenta coruscant;
Vitâ supremis inferiora ligant.
Ergo propositi summa est, *Beverovice*, nostri,
Quæ dixi; & parvo carmine, musa canet:
Stat sua cuique Dies, non fato, ast undique factis,
Terminus his vitæ, & pendet ubique necis.

F I N I S.

PANE-

PANEGYRICUS

In laudem eximii, & præstantissimi Sapientis, nobilisq; viri,

MENASSEH BEN ISRAEL.

Sin autem meliora cupis, si magna vidère
Tanti argumenti; & juvat exaudire latêbras
Naturæ, luci expositas; & stamina vitæ,
An præfixa homini existant, cognoscere nostræ;
Consule communi venerandum laude magistrum,
Arte admirandum totâ, Sophiæque parentem
Menasseh, quem terra colit, quem suspicit orbis,
Ob sceptrum studii, & nobis tot scripta, profundo
Ingenio; quo magna valet superare scientum
Pectora, vel totâ quamvis sat plena Minervâ.
Nam parvo, sed mente, gravi, quem conspicis, isto
Libro, cuncta docet, distinctoque ordine casus
Exponit dubios, quod nil jam deesse videtur

Heu

Heu lecta abſorbe; atque oculis vigilantibus ultrò
Perlege doctrinam, trutina, & mirabere tantum
Perfectum ſine labe virum; nam culmine ſacræ
Mentis ut excellit, ſic eſt ſub gentis honore.
Nobilitate domus, antiquâ & origine ſtirpis
Judææ illuſtris, proprium ſuper æthera tollit
Nomen; nec ſuperat minus *Abravanellia* conjux
Heroe ex ſapiente Ishak cognomina ducens
Sanguine cum claro: ſic jungunt colla duorum
Nobilitas, & diva ſimul prudentia in unum.
O decus! ò fulgor Sapientum! ò gloria ſæcli!
O quam felices, qui te genuere parentes,
Illuſtrem, doctumque ſimul, nam nomine vivent
Ii quoque (jure) tuo: tali ſe prole beatos
Decantent, radientque ad tanti fulgura nati.
Nos quoque felices, qui te nos tanta docentē
Accipimus, fruimurque tuæ tā nectare dulci
Doctrinæ, ut fugiat rudis ignorantia nobis.
Quos modulos pro laude valent proferre Camœnæ,
Si tua devincunt vel tota encomia laudum,
Et ſis major honore ſoli? Tua ſcripta, tuique
Sanguinis excellens nomen laudare valebunt

Te

Te solum; & notum facient à cardine cœli
Ejus ad oppositum, ut tandem post fata revivas.
Haud etenim occumbet, dederat qui lumina vitæ,
Exponens, quo fixa modo dicenda videntur.
Ergo vive tibi, & nobis, vir magne, futurisque.
Omnes namque tuo vitæ de fonte bibendo
Existent docti, famam super astra ferentes:
Haudque tui immemores, Menassæ nomina dicent,
Ut grati reddant laudes, & vota magistro.
Nos, si sæcla tui poterit dare Musa Rosalis,
Te quoque perpetuum quod erit, donabimus ævo.

Tuus ut suus,

Iacob Rosales Hebræus Mathem. Philos. & Medicinæ Doctor.

NOTÆ

NOTÆ

In Carmen intellectuale, ab ipso auctore ad marginem positæ.

SEctio 1. Primo h. q. Sophiæ, *Nulla necessitas animæ convertendi se ad phantasmata in statu innocentiæ, lege Scotum in* 1. *dist.* 3. *q.* 3.

Ibid. Ut scitum, *Quod per suas causas perfectè scitur, & respectu scientis est divinum.*

Ibid. Non nisi divinum, *In hoc & productione formæ intellectualis.*

Ibid. Ex rectore, *Adam non ope sensuum, sed divini Numinis afflatu immediaté scientias omnes accepit.*

Ibid. Immortale datum, *Intelligendo quæ Deus homini infudit, & docuit, & talia operando.*

Ibid. Ingenium sensus, *Ingenium est potentiæ organicæ.*

Ibid. Infusum aspernit, *Gratiam a Deo quæ omnia perfeclé cognoscebat absque eo quod ad phantasmata converteretur.*

Ibid. Jamque animi, *Lege Augustinum Lib.* 15. *de Trinitate cap.* 27.

Ibid. Cognitio Sophiæ, *Alludit ad illud Gen. cap.* 2. 24.

Ibid. Hæc hominum, *Si ex veris principiis multoties falsum concluditur, quid erit ex falsis?*

Ibid.

Ibid. Qui sapiat, *Cognoscere rerum nomina, est scire perfecte.*

Ibid. Externumque Dei cultum, *Cultus externus, vel religio, qua Deus debet coli, non est hominis, sed ipsius Dei ut explicetur.*

Sectio II. Ast inter tot cæca, *Quæ in hac sectione continentur, docentur in nostris exer. 1. philos., & 2. Theol. & 2. Apologetica.*

Ibid. Nam postquam infusa, *Post homo perdidit intelligere absque phantasm. illa, quæ à Deo dedicerat, docuit posteros, & hæ sunt rerum scientiæ veræ.*

Ibid. Unicus ecce Semus, *Abrahamus didicit ex Sem.*

Ibid. Luce parat, *Lex, vocatur Lux.*

Sectio III. Reddant &c. pacta Deos, *Dei in nomine Elohim vocantur homines.*

Ibid. Despotico accepit, *De imperio despotico, lege Arist. 1 polit. cap. 3. & 1. Ethic. ultimo.*

Sectio IV. Os hominis fuse, *Thora sebaalpé, vel lex oralis, & ejus differentiæ, a nobis diffuse probantur contra Finum & sequaces in 2. exer. Apologetica.*

Sectio VI. Namque prophetiæ. *Vide Rabenu Mosem in direct. dubit. p. 2. cap. 32. & in tract. fundam. leg. a cap. 7. ad 10.*

Ibid. Vana quoque, *Vide Ioha. Henricum encyclop. lib. 1. cap. 2.*

Sectio VII. Si nihil inscriptum, *Contra Arist. disputamus exer. 2. philos. ubi Iudæorum*

senten-

sententiam & Platonis esse veram circa hæc ostendimus.

Ibid. Occupat, ignotum, *Garcia de locis disp. 13. c. 10. ait, hoc fieri a Dæmone, sed non recte ait.*

Ibid. Nunquam audita, *Arist. 13. Probl. q. 1. Cicero 1. de divinatione. Paulus Ægineta cap. de melancolia. Vide Garc. de locis disp. 13. c. 11.*

Ibid. Ecce lupum, *Hoc referunt philosophi ad instinctum naturæ, sed quid sit, non bené explicant. Suares 1. Methap. disp. 23. Sect. 10. n. 14. Garcia in Avicenam fen. 1. disp. 47. c. 2. n. 21.*

Ibid. Illius auxilio, *Hoc modo diluas rationes Thom. à Conimb. in 3. de Anima c. 8. q. 1. art. 3. rat. 3.*

Ibid. Corpus, item, *Ita probo in fragm. 2. exer philos. dicando eximio Domino Doctori Zacuto Lusitano, viro equidem in medicina consummatissimo.*

Sectio VIII. Virtutes animique, *Hæ & sequentes sectiones ingeniis nobilibus exponuntur, ut ab illis ventilentur: continent enim mira, & gravia secretioris Philos. & Theolog.*

Sectio X. Divina ante. *contra. 3. assert. Conimb. in com. 2. lib. de anima c. 1. q. 3. art. 2. & omnes qui ex Traduce vel aliter animas creari tradunt.*

FINIS.